

I. N. J.

D. ABRAHAM CALOVI  
PROFESS. THEOLOGI,  
CIRCULI ELECTOR. SAXONICI  
Superintendentis Generalis,  
& Consistorii Ecclesiastici  
Adsesoris

PÆDIA  
THEOLOGICA  
*De,*  
METHODO STUDII  
THEOLOGICI  
PIE, DEXTRE, FELICITER  
TRACTANDI,  
*Proposita*

In Electorali Universitate  
Wittebergensi.

ANNO DNI. MDCCCLII.



Sumptibus Andreae Hartmanni,  
Typis JOBI WILHELMI FINCELI.

1265



B. LUTHERUS

Tom. III. Latin. sup. Ps. XLV.

Qui incumbitis Sacris literis, ante omnia constituite, quid credatis in religione Christiana, ut habeatis articulos fidei munitos bonis textibus Scripturæ sanctæ & benè meditados. Deinde quando tecum volunt disputare, vel Sathan, vel ejus instrumenta Hæretici, tunc obijce eis illos textus, & desere eos, dicens: *Cavillationes ac speculationes tuas audire nolo, hoc enim dicit sanctus, qui me monuit, ut audirem, & inclinarem aurem.*

Tom. I.

SI apud Jureconsultos Prover-  
bium recipitur: *Turpe est Juris-  
tam loqui sine textu*, Tu vide,  
quam sit honorificum, *Theologum*  
(qui minimè omnium debet) *loqui  
sine textu*, quem Apostolus jubet  
calceatum esse pedibus in præpara-  
tione Evangelii, & Episcopum po-  
tentem, non in Syllogismis & opi-  
nionibus hominum, sed in doctrina  
sana, nimirum ea, quam alibi divi-  
nitus inspiratam vocat. Hoc enim  
Consilium si fuisset servatum, mi-  
nus nunc Ecclesia haberet inuti-  
lium quæstionum & opinionum,  
& plus Evangelii & Christianæ veri-  
tatis.

SYLLABUS SECTIONUM  
CAPITUM ET RERUM PRÆ-  
CIPUARUM

Pædiæ Theologiæ.

INGRESSUS *De Pædiæ Theologica*

*definitione.* p. 1.

*Canones Preliminares de Pædias*

*Necessitate.* p. 3.

*Consiliis Biblicis.* p. 3.

*B. LUTHERI.* p. 4.

*Aliorum Theologorum.* p. 10.

*Electione certæ methodi.* p. 12.

PRÆCOGNITA *de Subjecto, & sine Methodo-*  
*logias Sacra.*

CAPUT I. *De Subjecto occupationis studio*  
*Theologia.*

*De Materiali.* p. 13.

*Formali.* p. 14.

*Canones Practici de Studii Theologici*

*Necessitate.* p. 14.

*Dignitate.* p. 16.

*Sanctitate.* p. 18.

*Amplitudine.* p. 19.

*Difficultate.* p. 21.

CAPUT II. *De subjecto informationis*  
*Studio Theologia.* p. 22.

*Canones Practici De ejusdem*

Indole, qvalis requiratur. p. 23.

Naturali ἐϋΟύια. p. 24.

Scopo. p. 26.

Qvalis mens afferenda & voluntas. p. 27.

Corporis dispositio. p. 29.

**CAPUT III. De Scopo & intentionis de-  
bito, seu fine. Studiosi Theologiae.**

Scopus ultimus. p. 30.

Intermedius communis & proprius. p. 30.

*Canones de intentione,*

Sacrâ. p. 31.

Gloriæ DEI. p. 32.

Ædificationis Ecclesiæ. p. 33.

Salutis propriæ. p. 34.

Scopo speciali certo. p. 35.

**PRÆCEPTA DE MEDIIS**

**Studii Theologici.**

**SECTIO I. GENERALIS.**

**CAPUT I. De requisitis in genere  
oratione, meditatione, tentatione. p. 37.**

*Canones*

Necessitas mediolorum. p. 38.

Utilitas. p. 39.

Conjunctio. p. 39.

Subordinatio. p. 40.

**CAPUT II. De Oratione p. 41.**

*Canones. De Orationis*

Necessitate, & causis moventibus. p. 41.

Ufu. p. 46.

Qval

Qualitate. p. 49.

Assiduitate: p. 50.

Speciali orandi causâ. p. 51.

Formulis. p. 52.

Adjuncto, Sanctitatis studio. p. 56.

### CAPUT III. De Meditatione.

Quid sit. p. 58.

Quænam ad eam faciant? p. 58.

Canones de meditationis

Materiâ. p. 61.

Modo. p. 62.

Tempore. p. 62.

Ordine. p. 63.

Prioritate, ratione exercitiorum,

p. 64.

Speciali meditationum ordine, auscultationis, & lectionis. p. 65.

Delectu in lectione scriptorum. p. 67.

Ordine in exercitationibus. p. 68.

### CAPUT IV. De tentatione.

Quid tentatio?

Quotuplex? p. 72.

Canones de tentationis

Ufu. p. 74.

Vi & efficaciâ. p. 75.

Armaturâ. p. 76.

Consolationis verbo. p. 79.

### SECTIO II. SPECIALIS

#### ARTICULUS PRIOR.

De praequisitis Studii Sacri.

CAPUT I. De Præquisitis Philologicis

p. 81.

Distributio eorum. p. 82.

Canones de lingvâ

Vernaculâ, p. 84.

Latinâ, p. 86.

Græcâ, p. 88.

Ebræâ, p. 92.

Chaldaicâ, p. 96.

Thalmudicâ, p. 98.

Syriacâ, p. 99.

Arabicâ, p. 101.

Turcicâ, aliisque, p. 102.

Rhetoricis & Oratoriis studiis, p. 103.

Observationibus Collectaneis, p. 104.

CAPUT II. De Præquisitis Philosophicis

p. 106.

Distributio Philosophicæ disciplinarum

p. 108.

Canones de

Præcognitione Logicæ p. 109.

Gnostologiæ, p. 112.

Noologiæ, p. 113.

Metaphysicæ, p. 114.

Pneumaticæ, p. 118.

Physicæ, p. 119.

Matheseos, p. 122.

Philosophiæ Practicæ, p. 128.

Juris

Jurisprudentiæ & Medicinæ. p. 120

De libris generalibus. p. 132.

CAPUT III. *De Historicis prærequisitis.*

Historice ab Historiâ distinguitur. p. 134

Historiæ divisio. p. 134.

*Canones de*

Ordine studii Historici respectu aliorum studiorum. p. 136.

Præcognitione Historiæ Universalis: p. 138.

Historiâ secundum quid universali. p. 139.

Particulari Historiâ. p. 139.

Topo- & Chronographiâ. p. 141.

Observationibus Historicis. p. 142.

ARTICULUS POSTERIOR.

De requisitis studii Sacri.

CAPUT I. *De studio Biblico.*

Requisitis studii Sacri. p. 185.

Biblicum studium. p. 188.

*Canones de* lectionis Biblicæ

Sedulitate. p. 188.

Qualitate. p. 190.

Exemplari cursorio. p. 191.

Lingvâ Germanica. p. 193.

Cursoriæ observationibus. p. 194.

Latinâ lingvâ. p. 198.

CAPUT II. *De Studio Exegetico*

Quæ ad id requirantur. p. 199.



- Media eò facientia. p. 200.  
*Canones* de  
 Tempore. p. 201.  
 Concordantiis. p. 204.  
 Lexicis onomasticis. p. 205.  
 Diversis in Script. lectionibus. p. 207.  
 Scrutinio contextus. p. 208.  
 Harmonia locorum. p. 209.  
 Versionibus Biblicis p. 211.  
 Collatione Scriptorum dogmaticorum  
 & Elencticorum. p. 214.  
 Notis textualibus. p. 217.  
 Delectu Interpretum. p. 219.  
 Commentator. in Biblia, p. 221.  
 In Pentateuchum. p. 222.  
 Libros Historic. V. T. reliquos p. 223.  
 Jobum. p. 223.  
 Psalmos. p. 224.  
 Libros Salomonis. p. 224.  
 Prophetas. p. 225.  
 N. T. p. 226.  
 Evangelistas. p. 227.  
 Acta. p. 227.  
 Epistolas Paulinas. p. 228.  
 Epistol. reliquas. p. 229.  
 Apocalypsin. p. 229.  
 Apocryphos libros. p. 230.  
 Commentariis Patrum. p. 231.

**CAPUT III. De Studio Theologiae didactico.**

De

De Locis Communibus Synopticis. p. 235.

Accuratiores. p. 235.

*Canones* de studio Didactico.

Necessitate. p. 236.

Institution. Catechetic. p. 237.

Epitome Theol. Calixti. p. 239.

Systemate libror. Symbolicor. p. 240.

Systemate pleniori LL. CL. p. 242.

Tractatibus particularibus. p. 244.

Modo legendi didacticos. p. 250.

**CAPUT IV. De Studio Theologiae Polemico:**

Studium Polemicum. p. 252.

Controversiae communes, vel propriae.

p. 252.

Controversiae famosiores. p. 253.

*Canones* De Studio Polemico.

De haeresi quavis in specie examinanda.

p. 255.

Papisticis controversiis. p. 259.

Calvinianis. p. 269.

Socinianis. p. 276.

Ne-Arianis. p. 284.

Remonstrantium. p. 285.

Vorstianis. p. 286.

Anabaptistarum. p. 287.

Weigelianorum. p. 289.

Paracelsistar. p. 290.

Schwenckfeldianor. p. 290.

Metistar. p. 291.

Stiefelianor.	p.291.
Osiandristar.	p.292.
Fratr. roseæ crucis.	p.292.
Alior. fanaticor.	p.292.
Libertinorum	p.293.
Noyatorum.	p.294.
Antinomorum.	p.294.
Syncretistarum.	p.294.
Majoristarum.	p.295.
Synergistarum.	p.296.
Calixtinorum.	p.297.
Judaicis.	p.303.
Turcar. & Paganorum.	p.305.
Scepticor. Epicureor.	p.307.

**CAPUT V. De Studio Theologiæ moralis.**  
p. 308.

<i>Canones</i> de morali studio,	
necesitate,	p.310.
Scholâ pietatis	p.310.
Volumine moralium LL. CC.	p.313.
Praxi consolatoriâ.	p.316.

**CAPUT. VI. De studio Homiletico.**

Quænam huc spectent?	p.319.
<i>Canones</i> de studio Homiletico.	
Accessu ad hoc studium,	p.320.
Methodo Concinnandi,	p.321.
LL. CC. concinnatoriis.	p.323.
Ornatu oratorio.	p.325.

CAPUT

**CAPUT VII. De studio Theologiae Casualis?**

Cur seorsim expendatur? p. 328.

Quodnam sit? p. 328.

Canones de hoc studio.

Quæ hic legenda. p. 329.

Methodus Casuum conscientiae. p. 333.

**CAPUT VIII. De studio Historiae Ecclesiasticae,**

Secundaria studia Theologica. p. 335.

Canones de

Synopsi Historica. p. 336.

Accurata cognitione. p. 336.

Certis capitibus lectionis Historiae

Ecclesiasticae. p. 340.

Chronologia Sacra. p. 343.

**CAPUT IX. De studio Patrum. p. 346.**

Conciliorum p. 347.

Distractio Conciliorum. p. 348.

Distributio Patrum. p. 348.

Canones de

Summariâ conciliorum evolutione. p. 350.

Ætate Patrum cognoscendâ. p. 351.

Generalibus præcognitis de Patribus. p. 355.

Patribus præcipuis legendis. p. 356.

Judicio in lectione Patrum adhibendo.

p. 357.

contrâ Calixtinor. p. 360.

Observationibus Patristicis. p.

Scriptis Scholasticorum. p.

Judicia de Scholasticis p.

contrâ

contra bastatores Scholasticorum Calixti  
nos. p. 368.

B. Lutheri Zelus contra Scholasticos. p. 370.

Censuræ aliorum ante Luther. de Schola-  
sticis? p. 373.

Notatur Hornejus. p. 374.

De Lectione Scriptorum B. Lutheri. p. 380.

Elogia Megalandri. p. 382.

**CAPUT X. Et ultimum de distributione**

*Studii Theologici per tempora* p. 382.

Studia Theologiæ conjuncta p. 383.

Operarum distributio. p. 383.

Canones de

Operis Theologici cum prærequisitis  
studiis conjungendis. p. 383.

Quinquennio proprii studii Sacri. p. 385.

Distributione horarum. p. 387.

Conclusio. p. 388.

**APPENDIX de B. Lutheri Scriptis ad quælibet  
Studiorum Theologicorum genera spectantibus.** p. 389.

Encomia B. LUTHERI. p. 389.

De operis ejus Catecheticis. p. 393.

De L. L. C. C. Theologicis. p. 396.

De operis Exegeticis in V. Test. p. 399.  
in N. Test. p. 404.

De Polemicis. p. 406.

De Practicis. p. 406.

**FINIS.**

In Pædiam Theologicam

D. ABRAHAM CALOVII,  
Fratr.

**H**Æc, quò Divinis immitti sedula Pubes  
Commodiùs possit, tendere fila juvat.  
Sunt varii anfractus, scopulis quos invia torquent  
Et juga præruptis, imaq; nocte sua,  
Mille pericla via, omninò sunt ardua: Pubes  
Sacra, hæc quin prendis fila tenace manu!

Wittebergæ, Fratri chariss:  
transiens volante calamo  
reliquit  $\frac{15}{25}$  Feb. 1652.

Fab. Calovius Sereniss.  
Elect: Brand: ab intim. Rat:  
in Prussia.

MS. (O) (50)

I. N. J.

D. ABRAHAM CA-  
LOVI PROF. PUBL.  
THEOLOGI  
PÆDIÆ THEO-  
LOGICÆ

INGRESSUS.

**P**ÆDIA THEOLOGICA est Ha- *Quid sit*  
bitus Practicus de Studio *Pædia Sa-*  
Theologiæ ad ductum Spi- *cræ?*  
ritus S. dextrè ac feliciter tractan-  
do, ad Nominis divini laudem,  
nostram Salutem, & Ecclesiæ ædi-  
ficationem.

Dici potest *Methodologia Sacra;* *Nomina.*  
*Methodus Theologici Studii:* Alii vo-  
cant *Judicium* vel *Consilium* de Studio  
Theologico. Non absolvit autem hæc  
Doctrina *peculiarem* Habitum Disci- *Sedes.*  
plinarem; sed reduci potest ad *Præco-*  
*gnita* in systemate S.S. Theologiæ, ubi  
de hujus cum *Naturâ*, cum *Studiô* &  
*curâ* agere licet. Definitur itaq; per *Genus.*

A a

Habi-

*Habitum*, intelligendo *partialem* non *totalem*: estq; *Habitus Practicus*, quæ ut *universa Theologia* verè est ad *Praxin* directâ; ita etiam *Pædia* hæc ad *Praxin* tendit, eoq; directâ esse debet, adeò ut nihil hîc præcipiatur, quod non ad *Praxin* spectet, hoc est, faciat ad finem proprium, seu faciliorem & feliciorem *Studii Theologici absolutio-*

*Objectum* nem. *Objectum* ergò est *Studium Theologiae*. Non enim hîc de *Methodo Theologiae* agimus, se de *verâ ratione discendi Theologiam*: nec in specie solùm circa *Theologiam Practicam*, quæ *eidem rationis* ita vocant, aut circa *Methodum con-*

*Finis*. quæ huc faciunt. *Finis* exprimitur in *Definitione* tum *ultimus*, tum *inter-*

*Causa Eff-* *gici*, non neglectâ mentione *Causæ Eff-*  
*ficæ*. *cientis Principis*, quæ est *Spiritus S. Gratia*, quippe sine quâ nullus est *felix con-*  
*natus & utilis unquam*.



## CANONES PRÆLIMI-

NARES.

I. Futuro Studio Theologiae *Necessitas*  
ante omnia necessaria est Cogni- *Padias*.  
tio *ωαιδίας* Theologicae.

Quia in hac informatur, quid, qui-  
bus modis, quò ordine cum fructu tra-  
ctari debeat in hoc Sacro studio: sine  
quâ informatione pleriq; incertâ Me-  
thodò oberrant, ac inutilitèr tempus  
terunt, qui scilicet neq; Ducem habent,  
neq; debitam manuductionem. *Quò-*  
*modo possum intelligere, nisi quis ostende-*  
*rit?* dicebat Eunuchus ille *Act. 8. 21.* de  
Scripturae cognitione. Et quomodo  
possent versari in studio Sacro univer-  
salo, qui ad id non manuducuntur, aut de  
modo & ratione verâ instruuntur, sive  
per præcepta, sive per informationem  
vivorum Præceptorum. Quum in omni  
arte ac Disciplinâ aliquâ opus sit *χρησ-*  
*γωγία*, quis ambiget eadem in hoc tant  
Sacrosancto, tam difficili opus esse  
studiò?

II. Volvat ac revolvat semper *Consilia*  
animò piò ac fidei consilia, atq; *Spiritus*  
*moni-Sancti*.

monita ipsius Spiritus S. longè saluberrima, ceu reliquorum Consiliorum Fontem ac Principia.

Quæ ut passim obvia sunt in S. literis, ita præprimis eminent monita ac consilia *Davidica Psal. 119.* per tot. *Prov. 4. 4. seqq: Salomonæ Prov. 2. à v. 1. ad 7. cap. 3. 8. 11. cap. 7. à 1. ad 6. Paulinæ 1. Tim. 4. per tot. 2. Tim. 1. 13. 14. cap. 2. 21. 22. cap. 3. 10. seq. Petrina 2. Epist. 1. 19. seqq: cap. 3. 17. 18. &*, quæ primò locò commemoranda erant, ipsius *Christi Magistri unici Job. 5. 39. c. 7. 17. Matth. 16. 24. Luc. 9. 23. cap. 14. 26. ad fin. Quidibus accedit informatio & Praxis Synagoga cap. 5 1. 18.* quæ omnia quotidiè diligentissimè volvenda, aut animo fovenda, praxiqve ipsâ exprimenda sunt.

*Consilium* III. Summam Monitorum  
*B. Luthe-ri.* B. Lutherus complexus est consilio suò verè aureò, quæ nunquam non recolenda erit.

Extat id Præfat. Tom. 1. Germ. Jenæ & Witteberg. & petitum est è *Psal. 119. di.*

*Ingressus.*

dignissimum, quod non tam mente  
semper recolatur, quam in ipsa praxi  
sanctè observetur. Quà fini placuit  
id hoc locò adjicere, quum Tomi Lu-  
theri non in omnium Studiosorum  
manibus versentur: Quod *ιδιογλωττως*  
ita habet:

Ich wil Dir anzeigen eine rechte  
weise in der Theologia zu studieren / der  
ich mich geübt habe / wo du dieselbige  
hättest / soltu also gelehrt werden / daß  
du selbst könnest ( wo es noth were ) ja  
so gute Bücher machen / als die Väter  
und Concilia, wie ich mich ( in Gott )  
auch vermessen / und ohn Hochmuth und  
Lügen rühmen darff / daß ich etlichen  
der Väter wolte nicht viel zuvor geben /  
wenn es solt Bücher machens gelten /  
des Lebens kan ich mich weit nicht gleich  
rühmen. Und das ist die weise / die der  
Heilige König David ( ohne zweiffel  
auch alle Patriarchen und Propheten  
gehalten ) lehret im 119. Psalm / da wirstu  
dren Regeln innen finden / durch den gan-  
zen Psalm reichlich fürgestellet / und heis-  
set also: Oratio, Meditatio, Tenta-  
tio.

Oratio.

Erstlich soltu wissen / daß die  
 Schrift ein solch Buch ist / das aller  
 ander Bücher Weißheit zum  
 Narrheit machet / weil keines vom  
 ewigen Leben lehret / ohne diß allein.  
 Darumb soltu an deinem Sinn  
 und Verstand stracks verzagen /  
 denn damit wirstu es nicht erlangen /  
 sondern mit solcher Vermessenheit dich  
 selbst / und andere mit dir stürzen vom  
 Himmel (wie Lucifer geschach) im Ab-  
 grund der Hellen; Sondern knie nieder  
 in deinem Kämmerlein und bette mit  
 rechter Demuth und Ernst zu Gott /  
 daß Er dir durch seinen lieben Sohn  
 wolle seinen heiligen Geist geben / der  
 dich erleuchte / leite und Verstand gebe.

Wie du siehest / daß David im ob-  
 genandten Psalm immer bittet / Lehre  
 mich / Herr / unterweise mich /  
 führe mich / zeige mir / und der Worte  
 viel mehr / so er doch den Text Mosis und  
 ander mehr Bücher wol kundte / auch  
 täglich hörete und laß / noch wil er den  
 rechten Meister der Schrift selbst darzu  
 haben. Auff daß er ja nicht mit der Ver-  
 nunfft drein falle / und sein selbst Meister  
 weri

werde / denn da werden rotten - Geister  
aus / die sich lassen düncken / die Schrift  
sey ihnen unterworffen / und leichtlich  
mit ihrer Vernunft zuerlangen / als  
were es Marcolfus, oder Aesopus Fabeln/  
da sie keines H. Geistes noch betens zu  
dürffen.

Zum andern soltu meditiren / das ist / *Meditatio.*  
nicht allein im Herzen / Sondern auch  
eufferlich die mündliche Rede / und Buch-  
stabile Wort im Buch immer treiben  
und reiben / lesen und wiederlesen / mit  
fleißigem auffmercken und nachdenken/  
was der H. Geist damit meinet. Und  
hüte dich / daß du nicht überdrüß-  
lig werdest / oder denckest / du ha-  
best es einmahl oder zwey genug  
gelesen / gehoret / gesagt / und ver-  
stehest es alles zu grund / denn da  
wird kein sonderlicher Theologus immer-  
mehr aus / und sind wie das unzeitige  
Obs / das abfelt / ehe es halb reiff wird.

Darumb siehestu in demselbigen  
Psaln / wie David immerdar rühmet/  
Er wolle Reden / Richten / Sa-  
gen / Singen / Hören / lesen Tag  
und

und Nacht immerdar/ doch nicht  
 denn allein von Gottes Wort und Gebeten.  
 Denn Gott wil dir seinen Geist  
 nicht geben/ ohn das eußerliche Wort/  
 da richte dich nach/ denn Er hats nicht  
 vergeblich befohlen/ eußerlich zu Schreien/  
 Predigen/ Lesen/ Hören/ Singen/  
 Sagen/ &c.

*Tentatio.*

Zum Dritten ist da Tentatio/ An-  
 fechtung/ die ist der Prüfestein/ die lehret  
 dich nicht alleine wissen und verstehen/  
 sondern auch erfahren/ wie  
 Recht/ wie Wahrhaftig/ wie  
 Süße/ wie Lieblich/ wie Mäch-  
 tig/ wie Tröstlich Gottes Wort  
 sey/ Weißheit über alle Weiß-  
 heit.

Darumb siehestu wie David in dem  
 genandten Psalm so oft klaget/ über al-  
 lerley Feinde/ Freveler/ Fürsten/  
 oder Tyrannen/ über falsche Gei-  
 ster und Rotten/ die er leiden  
 muß/ darumb daß er meditirt/ das ist/  
 mit Gottes Wort umgeheth (wie gesagt)  
 allerley weise. Denn so bald Gottes  
 Wort auffgeheth durch dich/ so  
 wird

wird dich der Teuffel heimsuchen / dich zum rechten Doctor machen / und durch seine Anfechtung lehren Gottes Wort zu suchen und zu lieben. Denn ich selber ( daß ich Meusebeck auch mich durch den Pfeffermenge) habe sehr viel meinen Papisten zu danken / daß sie mich durch des Teuffels toben so zuschlagen / zudrenget und zuängstet / das ist / einen zimlichen guten Theologen gemacht haben / dahin ich sonst nicht kommen were. Und was sie dagegen an mir gewonnen haben / da gan ich ihnen der Ehren / Sieg und Triumph herzlich wol ; denn so wollen sie es haben.

Siehe / da hastu Davids Regel / studirestu mi wol / diesem Exempel nach / so wirstu mit ihm auch siegen und rühmen in demselben Psalm: Das Besetze deines Mundes ist mir lieber denn viel tausend stück Goldes und Silbers. Item. Du machest mich mit deinem Gebot weiser / denn meine Feinde sind / denn es ist ewiglich mein Schatz. Ich bin  
 Na v gelehr-

gelehrter denn alle meine Lehrer/  
 Denn deine Zeugniß sind meine  
 Rede / Ich bin klüger denn die  
 Alten / denn ich halte deinen Be-  
 fehl / 2c. Und wirst erfahren / wie schal  
 und faul dir der Väter Bücher schmecken  
 werden / wirst auch nicht allein der Wie-  
 dersacher Bücher verachten / sondern die  
 selbst beyde im Schreiben und Lehren  
 je lenger je weniger gefallen. Wenn  
 du hieher kommen bist / so hoffe  
 getrost / das du habest angefan-  
 gen ein rechter Theologus zu  
 werden / der nicht allein die Jungen  
 unvollkommenen Christen / sondern auch  
 die zunehmenden und vollkommenen mö-  
 gest lehren / denn Christus Kirche hat  
 allerley Christen in sich / Jung / Alt /  
 Schwach / Kranck / Gesund / Starcke /  
 Frische / Faule / Albern / Weise / 2c.

*Judicia*

*aliorum*

*de Ratio-*

*ne Stud.*

*Theolog.*

EV. Aliorum Judicia non  
 aspernanda sunt; sed ita evolgen-  
 da, ut ex iis colligantur monita  
 salutaria, eademqve sedulo pen-  
 si habeantur.

Ut enim priora illa θεόπνευστα nem-  
 pe



pe seu *Biblica*, itemq; à θεοφύλω Lu-  
 thero in summam redacta *Catholica*  
 sunt & *universalia*; quibus accenseri  
 etiam potest *Consilium Caspari Huberini*  
 συλλογὴ B. Lutheri im Spiegel der  
 Haus-zucht suprâ cap. 39. Syrac. quod  
 videre licet in Pastoralis B. LUTHERI  
*Conradi à Porta*: ita *specialiora* quædam  
 ad modernum Ecclesiæ statum accom-  
 modata ex aliis Consiliis haberi pos-  
 sunt, cujusmodi sunt *B. Chytræi* de ra-  
 tione discendi, *Welleri* consilium de  
 studio Theolog: *B. Gerbardi* de Metho-  
 do studii Theologici, qui plenissimè  
 de hoc argumento egit: *Dn. D. Hülse-*  
*manni Methodus*, quæ etiam aliquantò  
 plenior est, subjuncta Methodo ejus-  
 dem Concionandi: Succinctiùs de illò  
 egere *B. Hutterus, Försterus, Meisnerus,*  
 quorum *Judicia Hülsemanniano* anne-  
 xa sunt; *Casparus Bartholinus, & alii.* Ex  
 parte huc facit *Dissertatio Dn. D. Dor-*  
*schei* præmissa *Synopsi Theologiæ Za-*  
*charianæ* part. 1. de rectâ studii Theolo-  
 gici cõformatione, quoad *σωμαλοποιήσιν.*  
 E Reformatis multa utilia habet *An-*  
*dreas Hyperius* lib. 4. de ratione Studii  
 Theologici; Conjungi etiam, si lubet,  
 potest

potest *Job. Henr. Alstedii* Cōpend. Theolog. cum præcognitis, & *Ludov. Crocii* præloqv. in Syntagma Theologiæ de ratione studii Theologici, ut & *Exercitia & Bibliotheca Studiosi Theologiæ Gisberti Voëtii*. E Pontificiis *Lud. Carbo à Costaciaro* introduct. in S. Theolog. ut & *Erasmus* de ratione veræ Theologiæ. *Laur. Villavincentin. Xeresan. Doct. Theolog. Augustinian. Eremita* suos libros de ratione Stud. Theol. exscripsit ex *Hyperio* &c. Ex his pleraq; colligi poterūt, ab iis præprimis, qui Judicio aliquo jam pollent, quæ cum fructu observentur.

V. Cavendum, ne per varias *Methodos* practicè feramur; sed eligenda certa, quam sequamur.

Ea scilicet, quæ nobis & instituto nostro videtur commodissima, in praxi eligenda, & quam eligimus ac secuti sumus non facilè operâ desultoriâ reprobanda, utut non usquequaq; videri queat postmodum perfecta. Quia præstat imperfecta continuare, ut perficiantur, quam nova subinde inchoare, nihilque perficere, juxta illud:

*Ex omnibus aliquid, ex toto nihil.*  
 Quod verè pestis est studiorum.

## PRÆCOGNITA

De

SUBJECTO ET FINE  
METHODOLOGIAS

SACRÆ.

## CAPUT I.

De

SUBJECTO OCCU-  
PATIONIS.

Subjectum Occupationis hujus *Subjectæ*  
 Doctrinæ est studium Theolo- *Occupationis.*  
 gicum, quâ feliciter pertractan-  
 dum: idque tum in genere vel  
 communiter; tum in specie ac per  
 partes, vel secundum speciales  
 rationes spectandum.

*Materiale* hujus Objecti Studium *Materia-*  
 est Theologicum, quod multa comple- *le.*  
 ctitur, quædam ut *prærequisita*, quædam  
 ut *constitutiva*, seu *ingredientia*, quo-  
 rum etsi hæc propriè huc spectant, illa  
 tamen non omninò quoq; neglecturi  
 sumus, in Auditorum gratiam, Rur-  
 sus

sus quoad *constitutiva*, alia concernunt  
*SS. Literarum Lectionem*, & *sensum* vel  
*explicationem*, alia *LL. CC.* ex iisdem  
 collectionem & pertractationem, alia  
*Homileticam* populi informationem, alia  
*Controversiarum* Cognitionem, alia  
*Antiquitatis* Studium, alia *Pietatis*  
*Praxin*, alia *Casuum Conscientie* Deci-  
 sionem, alia *muneris Ecclesiastici* fun-  
 ctionem. Omnia illa Theologo futu-  
 turo, pro scopi tamen ratione, neces-  
 saria sunt, quædam magis, quædam mi-  
 nus. Quomodo ergo in omnibus ver-  
 sari debeat, hujus *παιδείας* est docere  
 ac consulere; ideòque facillè liquet,  
 quàm latè pateat Objectum.

Formale Objectum est, quæ  
 studia illa considerantur, prout  
 feliciter eadem suscipienda ac  
 pertractanda sunt.

*Formale.*

Id quod ex *sine*, Præcognitorum præ-  
 cticorum altero, constabit luculentius,  
 ideòque hinc quicquã addere opus nõ est.

### CANONES.

*Studii*  
*Theolog.*  
*Necessi-*  
*tas.*

I. Studium Theologiæ ut o-  
 mnibus necessarium, ita à nemine  
 prorsus negligendum est.

*Necessi-*

Necessarium est ad *eternam salutem*,  
*Job. 5. 39, cap. 17. 3. 2. Tim. 3. 15.* unde omnes  
*omnium facultatum* cultores merito esse debebant S. Theologiæ Auditores. Etsi enim eum finem sibi non præstituant omnes, ut alios publicè viam salutis doceant, nedum ut veram salutis rationem contra Seductores asserant, nemo tamen Salutis viam ignorare debet, omnes non sibi tantum, sed aliis etiam, proximo nempe ac Domesticis, Doctores existere tenentur: incumbit omnibus *probare Spiritus*  
*1. Joh. 4: 1. cavere Pseudo - Prophetas*  
*Matth. 7. 15. & à seductoribus recedere*  
*Rom. 16. 17.* quò fine Scriptura omnibus legenda proponitur. A *Jctis & Po-* Cur *Jctis*  
*liticis* Theologiæ studium requiritur, *discenda*  
*ut in timore Domini omnia gerant, Theolog.?*  
Conscientiæ suæ rationem habeant, pietatis ac justitiæ partes cognoscant, utriusq; tabulæ custodes sint, nec contra verum fundamentum omnis administrationis prosperæ, ac salutis publicæ quicquam designent, hoc est, contra *legem divinam*, quæ noctes diesq; volvenda & revolvenda. *Deut. 17. 19.*  
*Jos. 1. 7.* A *Medicis* idem requiritur, *Cur Me-*  
*ut dicis.?*

ut cum ægrotis piè conversari, & pro  
 Conscientiâ omnia expedire ac consu-  
 lere, ut illos vivida consolatione verbi  
 divini erigere, monere, adeoq; in defe-  
 ctu *Medicorum spiritualium* eorum par-  
 tes quodammodò subire queant.

*Dignitas.*

II. Theologiæ studium ut di-  
 gnissimum est omnium, ita me-  
 ritò ab omnibus magni est faci-  
 endum.

*Dignitatem* conciliat & evincit tùm  
*origo*, quæ immediatè est divina; tùm  
*materia*, DEUS & res divinæ, *Mysteria*  
 eminentissima, *Præcepta* sanctissima;  
 tùm *finis* salus æterna. *Est enim* Theo-  
 logia à DEO, docet de DEO, & ducit ad  
 DEUM. Sola hæc est *mentis Lux*, vo-  
 luntatis *Pharmacum*, adversus peccata  
*antidotum*, veræ Pietatis *ὄφρην* me-  
 diumq; efficacissimum. Sola nos DEO,  
 & DEUM nobis unit: hæc *Scala* est è  
 terris in cœlum, quâ conscendamus  
 cœlum, quâve DEUS ad nos condescen-  
 dat, & omnis generis bona cœlestia in  
 nos redundant: ut terra nobis sit cœ-  
 lum, nosq; cœlum & terram nihili fa-  
 ciamus, DEO uni acquiescentes *Psal. 73.*  
 26. 10

26. In hac discimus ea in terris, quorum  
scientia perferat in caelis: Hæc cæci vi-  
dent; surdi audiunt; claudi ambulant;  
muti loquuntur, mortui vivificantur:  
homines divinæ redduntur Naturæ  
confortes 2. Pet. 1. 4. Summo itaqve in  
pretio habendum studium S. Theolo-  
giæ Plal. 119. 130. Declaratio sermonum  
tuorum illuminat, & intellectum dat  
parvulis, veri. 97. 98. 99. 102. III. 127. 162.

Quomodo dilexi Legem tuam Domine,  
tota die Meditatio mea est. Super inimi-  
cos meos prudentem me fecisti mandato  
tuo, quia in æternum mihi es. Super  
omnes docentes me, intellexi, quia testi-  
monia tua meditatio mea: super senes  
intellexi, quia mandata tua quasi vi: quàm  
dulcia faucibus meis eloquia tua, super  
mel in ore meo. Hereditate acquisivi te-  
stimonia tua in æternum: quia exultatio  
cordis mei sunt; ideo dilexi mandata tua  
super aurum & topazium. Latabor ego  
super eloquia tua, sicut qui invenit spo-  
lia multa Ps. 19. 8. 11. Lex Domini imma-  
culata, convertens animas: testimonium  
Domini fidele, sapientiam præstans par-  
vulis; Judicia Domini desiderabilia su-  
per aurum, & lapidem pretiosum mul-

tum, & dulciora super mel, & favum.  
 Prov. 3. 13. seqq: *Beatus homo, qui invenit  
 Sapientiam, & qui affluit prudentiâ, me-  
 lior est acquisitio ejus negotiatione au-  
 genti, & auri primi, & purissimi fructus  
 ejus; pretiosior est cunctis opibus, &  
 omnia quæ desiderantur, huic non valent  
 comparari. Longitudo dierum in dextera  
 ejus, & in sinistra illius divitiæ & gloria.  
 Via ejus via pulchra, & omnes semitæ  
 ejus pacificæ. Lignum vitæ est his, qui  
 apprehenderint eam, & qui tenuerit eam  
 beatus.*

*Sancti-  
 tas.*

III. Theologiæ Studium ut Sa-  
 cratissimum, ita ab omnibus sancti-  
 tate tractandum est.

Sanctissima est Theologia, ratio-  
 ne *Autoris primarii* Spiritus S. ratione  
*medii*, Scripturæ S. quæ traditur: ratio-  
 ne *Objecti*, quia versatur circa res san-  
 ctissimas: ratione *finis & effecti*, quia  
 veram sanctitatem instillat, nosq; san-  
 ctificat Joh. 17. 17. Proinde sanctè etiam  
 tractandum. ἐκείνη, ἐκείνη ἐστὶ βέλγη.  
 Sancta sit *intentio*, cum eandem susci-  
 pimus: sanctum *studium*, cum in eadem  
 versamur: sancta *vita*, quæ id expri-  
 mendum, quod in eâ discimus, aliosq;  
 doce-



docere cupimus, quum aliis typi evadere debeamus pietatis & sanctitatis. 1. Petr. 5. 3.

IV. Theologiæ studium amplissimum est, cui non paucian- *Ampl-*  
ni impendendi sunt, imò cui nec *tudo.*  
tota Hominis vita sufficit.

Complectitur quippe studium Sacrum Theologiam non tantum *Catechetica* & *Didacticam* atque *Homileticam* seu *Concionatoriam* (cui debite excolendæ vix ætas sufficit) sed vel maxime Theologiam *Biblicam*, & *Exegeticam*, quæ nunquam satis tractari, nunquam penitus absolvi potest, itemque Theologiam *Polemicam*, cujus ferè nullus est finis atque terminus: ut & *Ecclésiasticam*, cujus studium ob *Chronologiam*, *Sacram Historiam*, ac *Patrologiam* est amplissimum: ac porrò Theologiam *Scholasticam*, quæ ob vastos Pontificiorum Scriptorum Tomos est diffusissima, nec non Theologiam *moralem*, cujus itidem latifundium est inexhaustum: Adhæc *Casualem*, quæ ob innumeris Conscientiæ Casus & Casistarum Scripta infinita nullos limites

habet: ac deniq; *Ministerialem*, quæ typum exprimit fidelis verbi Ministri; ut & *Idealem*, quæ ideam sistit veri Christiani, cujus utriusq; perfectionem in hâc imperfectione nunquam assequimur, etiamsi eam consecremur longè studiosissimè. Semper ergò habemus, quod discamus, ut perfecti evadamus Theologi, aliosq; doctrinâ & vitâ ad perfectionem deducamus:

*Studium Theol. negotiorum negotium:* ideoq; *vita & Studium Theologorum nequaquam est otium; sed negotiorum negotium.* Quod nobis ad torporem excutiendum, diligentiam excitandam, humilitatem sectandam, πολυπραγμοσύνην & alienorum studiorum curam vitandam stimulum addere debet, juxta illud: *HOC AGE*; quia in hoc, quod agimus, semper habemus.

Quânquam verò illa amplitudo tam vasta sit, ut eam superare ferme nequeamus, si vel *Mathusalea* nobis obtingeret ætas, certis tamen limitibus circumscribi potest, quoad ea, quæ nobis maximè cognitu necessaria sunt, ut alios docere queamus. Quod dum agimus, alios docendo plura subinde addiscimus, per totam vitam, donec

ad cœlestem Academiam ex hâc Scholâ  
 triviali hujus vitæ aspiremus, in quâ  
 immediatè profitemem SS. Trinita-  
 tem audiemus, & à facie ad faciem  
 intuebimur. Ex parte hîc cognosci-  
 mus, & ex parte prophetamus; cum au-  
 tem venerit, quod perfectum est, evacua-  
 bitur quod ex parte est. 1. Cor. 13. 9. Vi-  
 demus nunc per speculum in enigmate,  
 tunc à facie ad faciem; nunc cognosco  
 ex parte, tunc autem cognoscam, sicut &  
 cognitus sum, ait Apostolus θεοπνευ-  
 στος, vers. 12.

V. Studium Theologiæ diffi- *Difficue-*  
 cillimum est, sed difficultati me- *tas.*  
 detur debita Tractatio.

Difficultas è rerum subtilitate, am-  
 plitudine, & copiâ, ut & requisitorum  
 perfectione ac eminentiâ liquet: at re-  
 medium ei est à debita Tractatione,  
 justâq; Methodo, accedente divina Gra-  
 tiâ, piis precibus obrinendâ, quibus  
 etiam impossibilia redduntur possi-  
 bilia, nedum difficilia faci-  
 lia, Marc. 9. 33.

## CAPUT II.

De

## SUBJECTO INFORMATIONIS,

STUDIOSO THEOLOGICÆ.

*Subje-  
ctum.* Subjectum informationis est  
 Studiosus, qui sese S. Theolo-  
 giæ consecravit studio: cujus hic  
 primùm indolem, & ingenium  
 maximè spectamus, quale id re-  
 quiratur.

*Omnes* quidem delibare Studium  
 Theologiæ necessum habent; tùm qui  
*peculiariter* id eligunt, per totam Vitam  
 Studiosi & ἀρποῦσαι cœlestis Doctrinæ  
 meritò audiunt. *Unicus* enim est *Rab-*  
*bi* & Doctor noster Christus *Matth. 23.*  
*10.* Veruntamen heic cum primis &  
 propriè informandi sunt, qui se Theo-  
 logiæ studio applicant, ut aliquando  
 ad Provinciam docendi alios aspirent,  
 quos vulgò *Studiosos Theologiæ* nuncu-  
 pamus. Hi ergò *Subjectum* heic sunt  
*totale & adequatum.* *Partiale* prima-  
*rium est animus* eorundem hâc παιδεία  
 imbuen.

imbuendus: secundarium est corpus debite regendum. In quo Subjecto considerata tum *Φύσις* & *indoles*, tum *scopus* & *intentio*. Non enim omnibus eadem indoles, nec idem scopus. De illa nihil præcipi potest, licet ea ante omnia vel maxime requiratur. Ideoque merito *Ericius Puteanus* Orat. 2. *Ut Naturam, i. e., ingenium afferatis, verbis non præcipio: id enim à DEO pendet, & à DEO hominibus datur, etsi corrigere Naturæ aliquem defectum ipsa exercitatione concessum sit.*

## CANONES.

I. In Studio Theologiæ requiritur indoles bona, & apta. *Studios. Theolog. indoles.*

Hanc *Doctrina* non dat, sed perficit, à *Naturâ*, vel potius à *DEO* autore *Naturæ* datam. Supponimus itaque eandem. Nam ut ex quovis ligno non fit *Mercurius*, ita nec è quovis Subjecto fit *Theologus*. Sic nec *Pythagoras* quidem in Scholam suam *αγεωμετρῆτον* admisit, quod interpretantur nonnulli, quem *Geometricâ* lineamento *Φυσικῶν* prodebat. *Indolem* autem ho-

nam atque idoneam requirimus, quæ non sit prorsus mala, & prava ac inepta quæ, dum aliqua in avotus superest, doctrinâ perfici possit, & exercitatione: cet vel maximè optimam desideremus indolem, & ad alia quævis potius, quam hoc studium, cæteris dignissimum ac difficillimum, ablegata cupiamus Bæotica ingenia. Exoptandum etiam ut probe exploraretur à Magistris, & ingeniorum scrutatoribus indoles Subjectorum, an idonea futura sit huic Studio! & cum naturali instinctu, Judicium tale Magistrorum à Studiosis attendatur, licet instinctum istum primario sequendum esse, non dissecimur.

Judicium Memoria & Affectus. II. Ad evocandam naturalem facit cum primis Judicii dexteritas, Memoriae fidelitas, Affectus sinceritas.

Judicium Memoria. Judicium dextrum requiritur, ut spiritualia possit *ὀρθότροπον* 1. Cor. 2. 13. h. e. Theorematis spiritualibus aptare spiritualia principia, ut explicat Chrysostomus; Memoria fida, ut lingvas & Scripturam S. Historias & Oracula divina

vina eâdem complecti aliosq; docere  
 queat; *Affectus sincerus*, seu *constans* & *Affectus*.  
*mor* & *impetus* ad sacrum hocce studi-  
 um, quò non *invitâ*, quod ajunt, *Miner-*  
*vâ* id tractet; sed ex singulari impetu  
 & instinctu, quæ quidem propensio  
*Naturâ* quodammodo inesse solet iis, *Naturalis*  
 qui huic studio divino munere conse- *instinctu*.  
 crati sunt. *Neminem videbis serio in S.*  
*literis proficere; nisi cujus pectus DEUS*  
*primum cupiditate cognoscendorum sacro-*  
*rû Dogmatum accenderit: Deinde ut con-*  
*sequi queat, Spiritu suo illustrarit.* Indi-  
 cia autem hujus destinationis divinæ  
 vel in ipsâ pueritiâ sese prodere solent,  
 uti Exemplo *Athanasii* constat, qui  
 puer cum pueris lusitans Episcopi mu-  
 nus subit, fidei confessionem à reli-  
 quis exigendo, aquæ Baptismum di-  
 spensando, vid. *Euseb.* lib. 10. Hist. Ec-  
 clesiast. c. 14. *Hieronymum* bonarum ar-  
 tium elementa imbibentē admodum  
 familiarem fuisse sui simillimis, h. e.  
 piis & ad studia Theologica aspiranti-  
 bus, commemorat *Augustinus.* *Augusti-*  
*num* occultâ quâdam vi fuisse ad S. S. li-  
 brorum lectionem mirificè inflamma-  
 tum, diu anteqvam Religionis nostræ

Sacris initiaretur, perhibet ipse *Augustinus* lib. 5. & 6. Confess. Solet adhuc DEUS adolescentes ejusmodi donis eximiiis, ingenii acumine, lingua promptitudine, morum mansuetudine, pietate & similibus exornare, occasiones, commoditates & adminicula suggerere, bonos Praeceptores donare, ita deniq; inoderari omnia, ut quasi divinitus ad coelestis Doctrinae studium vocari videantur. Conf. de his *Hyperius* lib. 1. de rat. Stud. Theolog.

Scopus  
pro ingenii  
modulo.

III. Scopus in S. Studio prædeterminandus est, pro ingenii modulo.

Qui hebetis & exigui prorsus ingenii aut Judicii sunt, & memoria infida, ad alia potius quæcunq; adhibeantur, quam ad studia. Qui mediocri sunt ingenio, suò se discant metiri pede, in præfigendo studii scopo, cum non omnibus adire contingat Corinthum, & in secundis tertiisque subsistere oporteat, quibus ad prima non est datum penetrare. Cæteri verò, qui sublimioris sunt ingenii monitum *Gregorii Nazianzeni* egregium, quod ille *Evdoxio* dedit,



dedit, Epist. 57. sibi dictum putent: *Ne sustineas inter graculos excellere, cum aquila esse possis.*

IV. Requiritur ad hoc Studium non solum mentis, sed etiam voluntatis conveniens Dispositio. Mens & Voluntas

MENS afferenda est 1. bonis instrumenta artibus, utpote linguarum peritiâ, & Disciplinarum tum instrumentalium, tum Philosophicarum notitiâ. 2. Libera sit à falsis præconceptis opinionibus vanisq; per- Mens  
qualis af-  
ferenda.

Voluntas autem habeatur perpurgata ab affectibus carnalibus, quantum doctiores evadunt, tanto majori damno sunt Ecclesie. Renuncietur proprie voluntati Matt. 16. 24. absint à Studio Theologiae ingenia *ερισια*, rixosa & contentiosa 1. Tim. 6. 4. 5. 2. Tim. 2. 24. Jac. 3. 5. absint *χλιαρα* vel tepida, nullo veritatis zelo flagrantia Apoc. 3. 16. ad *πολυπρηγμοσύνην* nata Syr. 39. 25. 1. Tim. 2. 4. vel etiam *σοκordia*, & prorsus *ἀεργα*, itemq; voluptuaria, *lucrum*, *propriumq; honorem querentia* &c. Qui verò ad ejusmodi vitia propensos se animadvertunt,

tunt, non minùs in his animi morbis curandis, quàm in rebus sacris cognoscendis laborent, si usui esse velint Ecclesie, quia *animam malignam non ingreditur Sapientia, nec corpus peccati subiectum Sap. 1. 4.* Adducatur ergò studium *sedulitatis indefessæ, desiderium & amor doctrinæ sinceræ, veræq; pietatis & sanctimonie*, ut Studiosus Theologus quotannis, imò quot horis se ipsò non modo *doctior*; sed & *sanctior* fieri contendat *1. Tim. 4. 7.* accedamus corde & corpore à peccatorum sordibus abluti *Exod. 40. 12. 31. 32.* *Si quis voluerit facere voluntatem Patris mei, is cognoscat doctrinam meam, an sit ex DEO.* Joh. 7. 17. Adferatur *Patientia* adversa tolerandi *Matth. 10. 35.* *Mansuetudo*, promptè condonandi & perferendi omnia, quæ modò non divinum lædant honorem. *2. Cor. 5. 11.* ut & *ardor Gloriæ & veritatis divinæ*; nec non *Modestia, Temperantia, Castitas, &c.* ad quæ maturè præparandi sunt animi, ut evadamus aliorum typi, ac *Doctrinam DEI Servatori ornemus in omnibus Tit. 2. 10.*

V. Corporis deniq; vitia ab-  
sint ab his, qui sacro se dicant or-  
dini, *Corporis  
dispositio.*

Innuitur id Dan. i. 4. imò per con-  
stitutiones etiam *Leviticis* sancitum  
fuit, quibus excludebantur defectu ali-  
quo laborantes *Lev. 21. 12.* quæ etiamsi  
in N. T. urgendæ non sint, unde ani-  
mum abjicere non debent aliquo for-  
tè laborantes corporis vitio; sed com-  
pensare potius animo, quod deest cor-  
pori, juxta illud Poëtæ: *Ingenio formæ  
damna rependo meæ;* præsertim quia  
ferè fieri solet, ut *acriora ingenia cor-  
puscula sortiantur imbecilliora;* illi tamen  
abesse debent naturales defectus, qui  
& *obstaculo* sunt *profectui*, quia corpus  
est instrumentum animi, & *dedecori*  
sunt *ordini sacro.* Requiritur autem  
præprimis partium studiis inservien-  
tium *bonum temperamentum*, cum as-  
sidua *Lectio, Meditatio, Scriptio, Exer-  
citatio,* & officiorum quorumvis Theo-  
logi administratio corporis ali-  
quod robur postulent,  
*Eccles. 12. 12.*

## CAPUT III.

De

## SCOPO ET INTENTIONIS DEBITO, SEU FINE STUDIOSI THEOLOGIAE.

Respicienda porrò in Studio Theologiae intentio & Scopus ejusdem, quæ finem ultimum & intermedium.

*Scopus ultimus.*

Ultimus absolutè est Gloria Nominis divini: secundum quid verò ultimus finis est Salus, ac ædificatio tum nostra, tum Ecclesiae.

*Intermedium commune.  
Specialis.*

Intermedius communis est Profectus in studio Sacro, ad ultimum istum finem directus; Specialis varius esse potest, præcipuè verò geminus: quæ intenditur nempe vel profectus futuro Concionatori necessarius, vel Doctori Ecclesiae ἐξοχικῶς nuncupato.

Datur

Datur horum finium quædam subordinatio, ita ut *supremus* sit Gloria DEI: *medius* salus Hominis: *infimus*, profectus in Studio Sacro. Proficere enim in Sacris studemus, ut tum nostra, tum aliorum saluti consulamus, gloriamq; DEI propagemus, & quicquid ad nostram, quicquid ad aliorum salutem facit, id omne ad Gloriam nominis divini ampliandam facere certum est: cum in eâ sita sit etiam salus nostra, nempe in fruitione & celebratione DEI.

## CANONES.

I. Ad studium Sacræ Theologiae Sacra adferatur intentio. *Sacra intentio.*

Cum unaquæque actio intentionem suam quasi *intuentem oculum* sequatur, *vigilanti curâ per cuncta opera intentio nobis pensanda est, ut nihil temporale in iis, quæ agit, appetat, totum se in soliditatem aternitatis figat,* monente Gregorio magno lib. 28. moral. c. 13. Ut enim *oculus simplex si fuerit, totum corpus lucidum futurum est, si oculus nequam, totum corpus futurum tene-*

tenebricosum, Matth. 6. 22. 23. Sic in-  
tentio fidei bona in quavis actione  
bonâ, Deoque gratâ requiritur, inter-  
prete *Augustino* lib. 4. contra *Julianum*  
cap. 3. Quæ in studio Sacratissimo  
meritò debebat esse instar oculi prospi-  
cientis & dirigentis omnia: ne hic re-  
spiciatur quicquam profani aut inun-  
dani; sed omnia suscipiantur ac pera-  
gantur pio, & hoc studio digno fine.

*Gloria*  
*DEI.*

II. Gloria DEI supremus stu-  
dii Sacri scopus esto.

Ut enim omnia ad Honorem Dei  
dirigenda sunt *1. Cor. 10. 31. Col. 3. 17.* in  
cumprimis Studiosi Theologiæ eum  
præfixum sibi habere debent scopum.  
cùm sola Theologia nos de verâ Dei glo-  
riâ informet. Non ergo gloriolam in-  
tendat propriam, non munus splendidum  
et *πολλὴν δόξαν*, aut eminentiam præ aliis  
aut honorem quærant suum; sed in o-  
mnibus respiciant Gloriam nominis  
divini: quæ facillimè, testibus *Exem-  
plis plurimis*, quis abripi possit ambitio-  
ne Gloriæ, & dignitatis cupiditate ad  
Ecclesiam turbandam, contentioni-  
bus non necessariis, & ad veram abne-  
gandam

gandam fidem &c. aut si adversa inci-  
dant, *in cursu vocationis* reddi queat  
*remissior*, verâ Gloriæ divinæ intentio-  
ne posthabitâ.

III. Studiosus Theologiæ se-  
riò intendat ædificationem Eccle-  
siæ. *Ædifica-  
tio Ec-  
clesiæ.*

Hunc scil. sibi post DEI Honorem  
præfixum habeat Scopum, ad quem di-  
rigat Studia, quò aliquando interservire  
possit usui Ecclesiæ. Non heic quæra-  
tur solum *utilitas propria aut sustentatio  
sui & suorum*: nec animus adferatur  
*avarus*, 1. Pet. 5. 2. sed unicè quærens sa-  
lutem & ædificationem Ecclesiæ. Quam  
qui serio intendit, cœtera DEO com-  
mittat, qui prospicit ipsi abundè. *Ædi-  
ficatio Ecclesiæ* intendatur, non destru-  
*ctio* 1. Cor. 14. 26. 2. Cor. 13. 10. ut tùm in  
*veritate ac Orthodoxiâ*, seu *fide sincerâ*:  
tùm in *pietate ac sanctimonia* eandem  
consolidare ac perficere, adeoqve my-  
sticum corpus Christi ædificare ali-  
quando possit *Ephes. 4. 13*. Quod utiq;  
non intendunt, qui novitates tantùm  
sectantur, vanis subtilitatibus delectan-  
tur, *zelo Pharisæis* amant, è quibus aliquam  
Cc ingenii

ingenii laudem reportent, ut aliquid præ aliis esse videantur. Illi verò *Mateologias*, quàm *vera Theologia* Studiosi censendi sunt, nec tam prodesse, quàm obesse solent Ecclesiæ, ut nunc, proh dolor! *varia exempla* docent.

*Salus propria.*

IV. Salus nostra non negligenda, dum aliorum Saluti studemus promovendæ.

Sic ergò *profectus* intendantur in studio Sacro, qui ad usum & salutem nostram non minùs directi sunt, quàm ad usum Ecclesiæ publicum, ut & nosmetipsos salvemus, & alios 1. Tim. 4. 10. Studeamus itaq; ut in *notitiâ rerum salutem necessariorum* proficiamus, in *firmatione* reddamur, omnesque *dubitationum scrupulos nobis ipsis* eliminamus, ac certam *πληροφωσίαν* de omnibus assequamur, ut *letâ ac securâ conscientia* alios docere, monere, consolari queamus. Qui enim aliis inculcat, ut credant ea, de quibus ipse hæret & ambigit, is Conscientiam facile sauciat. *Unusquisq; in suâ opinione certus esse debet*, etiam in *adiaphorâ* Rom. 14. 5. Quanto magis Doctores in his



his, quæ docent eum vera de rebus fidei, certitudinem habere tenentur? Similiter præfixus nobis in studiis hic debet esse scopus, ut *veram Pietatis praxin*, quam alios docere cupimus, ipsi addiscamus, inq; *Scholâ Pietatis* nos sedulo exerceamus, quò *utiles vera Pietatis Doctores* evadamus.


V. Non unus est omnibus Theologiæ Studiosis, nec esse potest scopus, certus tamen ut mature præstituatur, consultiſſimum est. *Scopus specialis certus sit.*

Aliis quippe scopus præfixus est *perfectioris* cognitionis Theologiæ: aliis *minus perfectæ*: aliis ut in *Gymnasis & Academiis* Theologiam aliquando profiteantur, aut Scriptis eandem propugnent; aliis ut *rudiores* saltem *populum* informant. Alii magis se dedere constituunt Theologiæ *Polemice*, alii *Exegeticæ*, alii *Homileticæ*, prout *ingenia*, *media*, *instinctus*, *occasions*, *suggestiones Spiritus* & id genus alia svadent, ac impellunt. Si autem mature certus prædefinitus fuerit scopus, eò *media* dirigi poterunt, ut eundem

dem tantò feliciùs, citiùs ac perfectiùs  
 assequamur. Futuro enim *Concionatori* multa ita necessaria non sunt  
 quæ *Professori Theologo*, quæ *lingvarum Orientalium studiorum*, *Philosophicorum exactior notitia*, *Scripto-*  
*rum Polemicorum & Controversiarum*  
 diligens peruestigatio, *frequens Exer-*  
*citium Disputatorium &c.* Multa vic-  
 versâ ab illo studiosius quàm ab hoc sci-  
 scienda veniunt, utpote *S. Bibliorum*  
*vernacula lectio*, *Moralium observatio*

*Loci Comm. Præctici*, *frequens*  
*Exercitium concionan-*  
*di &c.*

Tantum de Præco-  
 gnitis.



PRÆCE

## PRÆCEPTA.

De  
MEDIIS STUDII THEO-  
LOGICI.

## SECTIO PRIMA GENERALIS.

## CAPUT I.

De  
REQUISITIS IN GE-  
NERE.

Subjecti & finis *αὐτοῦ* exci- *Media*  
pit consideratio mediorum, *vel requi-*  
sita.  
sita. qvibus finis in Subjectum intro-  
ducitur atqve obtinetur, qvæ &  
requisita studii Theologici di-  
cuntur.

Ea autem in genere tria sunt: *In genere*  
ORATIO, MEDITATIO & TENTATIO, *tria.*  
qvæ in qvovis salutariter in studio  
Sacro profecturo nunqvam non  
concurrunt.

*Generalia requisita & media dici-*  
mus, qvæ non in certâ studii parte, cer-  
to tempore fortè solum desiderantur,

sed nunquam non necessaria sunt dum studiis Sacris ferio ac pie occupamur, si salutariter proficere debeamus. Quæ tametsi alii aliter recensent, placet tamen præ cæteris iudicio *B. Lætheri* approbatus ternarius, ad quem reduci pleraq; possunt alia. Nam *orationem* percommode revocatur *et sanctimonia*, sine quâ Deo gratia non est oratio, *Es. 1. 15. 1. Tim. 1. 8.* *Meditationem* *auditio*, *lectio*, *scriptio* & *exercitatio*: in quibus omnibus desideratur primasqve obtinet *Meditationem* quæq; sine *Meditatione* nihil profunt. Ad *tentationem* tum *luctæ interiores*, sive *jugis illa carnis & spiritus*, sive *linguæ* *latae homini subinde obvenientes* tum *exteriores probationes* pertinent quibus tentamur, ut explorati reddamur, ac confirmatiores evadamus Theologi.

## CANONES.

*Necessitas meditationum.*

I. Orationi, Meditationi, & agnitioni Spirituali semper vacet Studiosus Theologiae.

*Orationi*, quia semper opus habet divinâ gratiâ *Luc. 11. 13. Joh. 16. 23.* *Meditationi*

*meditationi*, quia verbum DOMINI fidei corde perpetuò custodiendum est, *Luc. 11. 28. Agoni Spirituali*, quia nunquam cessat caro luctari adversus Spiritum, cui nunquam non resistendum est per Spiritus S. gratiam, *Gal. 5. 17.*

II. Oratio gratiam impetrat, *Effectus* Meditatio, annuente divinâ gratiâ, verbum DEI pensitat; in agone verò Spirituali verbi pensitati fructus sese demonstrat. *& utilitas.*

Ideo est *orandum*, ut Sapiencia cœlestis obtineatur, *Jac. 1. 5. Meditationibus* vacandum, ut verbum DEI ad animum probè revocetur, & doctrina cœlestis memori mente recolatur, *Psal. 1. 1. Decertandum* deniq; adjuvante Spiritus S. gratiâ, adversus tentationes, ut quantum profecerimus, quantum adhuc deficiamus, ipsimet cognoscamus, atq; ita subinde magis magisq; proficiamus, *Psal. 119.*

III. Tria hæc media etsi distincta sint, devinctissima tamen, *Conjunctio.* intimèq; conjuncta sunt.

Oratio quippe inter ipsas etiam *Meditationes* sacras, ut & in tentatione

40 *De requisitis generalibus*

quavis vel maximè requiritur, si non  
*vocis, saltem mentis, affectûs, & Spiritus*: utpote à quâ & *Meditationum* fru-  
*ctus & tentationum eventus salutaris*  
 solidum dependet, qui uterq; unice de-  
 vinæ gratiæ, piâ obtinendæ orationi  
 acceptus ferendus est. *Meditatio* sum-  
 & in *oratione* requiritur, & in *tentatio-*  
*ne*, cum eâdem *Oratio* animetur. *tentatio*  
*sublevetur*. Deniq; *agonibus* opus  
 est, non minùs in *Oratione* quàm *Medi-*  
*tatione* rerum sacrarum, quia utraq;  
 peragitur non absqve infirmitate &  
 luctâ.

*Subordi-*  
*natio.*

IV. Subordinata sibi invicem  
 sunt *Oratio, Meditatio, Tentatio*  
 illa quasi inchoat, ista continuat,  
 hæc perficit & consummat stu-  
 dium Sacrum.

A *precibus* enim capienda primor-  
 dia *Prov. 3. 2. Phil. 4. 6. Jac. 1. 5.* Preces  
 sequatur *Meditatio* verbi DEI, rerum  
 Sacrarum ordinata tractatio. *Precibus*  
 nos DEUM compellamus primùm,  
 sese nobis revelet: *Meditatione* DEUS  
 nobis sese patefacienti per verbum  
 aures & cor præbemus, ut divinam re-  
 vela-

velationem de rebus Sacris cognoſca-  
mus. *Quando enim oras, loqueris DEO,*  
*quando legis, DEUS tibi loquitur, ait Au-*  
*guſtinus in Pſalm. 85.* Illa autem cogni-  
tio rerum ſacrarum tum demum perfici-  
tur, ubi in *crucis ſcholâ*, ad *Examen*  
& *probam divinam* tentationis & cru-  
cis revocamur, *Eſa. 28. 19. 1. Pet. 1. 7.*

CAPUT II.

DE ORATIONE.

PRIMUM requiſitum eſt Oratio, *Oratio*  
quæ nihil aliud eſt, quàm hu- *quid?*  
milis ac fiducialis divinæ illumi-  
nationis & ſalutaris profectus in  
S. ſtudio ſollicitatio.

Sive ea fiat *ore ac voce*, vel pre-  
cibus, vel canticis hymniſq; Sacris: ſive  
cordis ſuſpiriis ſubinde in ſacrorum  
tractatione ad DEUM emiſſis. *Oratio*  
*enim cordis eſt, non labiorum*, dicente  
Bernardo; & *optimæ interdum preces*  
*voce carent.*

CANONES.

I. Ad preces devotas crebri- *Orationis*  
res pro ſalutari profectu in ſtudio *neceſſitas*  
Sacro & *cauſa.*

Sacro nos instigent naturalis nostra cœcitas, rerum cognoscendarum sublimitas & difficultas, illuminationis Spiritus S. necessitas, mandati divini autoritas, periculi errorum gravitas, precum utilitas, exemplorum deniq; Sanctorum dignitas.

Ut torporem in precibus Studio-  
sis nimium familiarem excutiamus, ju-  
vat causas hæcæ semper obversari men-  
ti nostræ. Prima ergò impulsiva cau-  
sa est *nostra cœcitas*, quâ post lapsum  
laboramus naturâ omnes, tenebris ob-  
scuratum habentes intellectum, *Eph. 4.*  
*18.* Itemqve cor peccatis depravatum  
*Jer. 17. 9.* Unde *tenebræ* dicimur *Job. 1. 5.*  
*Eph. 5. 8.* *Act. 26. 18.* Opus ergò tenebra-  
rum ac cœcitatis discussione, ac divi-  
nâ intellectus & voluntatis irradiatio-  
ne, quæ non nisi precibus obtinetur,  
*Eph. 1. 16.* *Jac. 1. 5.*

2. *Rerum Sacrarum sublimi-  
tas.* Altera causa impellens ad crebri-  
ores res preces est *rerum Sacrarum sublimi-  
tas*, quæ longè excedunt facultatem  
nostram, sive *mysteriorum divinorum  
cognitionem* respiciamus, non tam *lite-  
ralem*



ralem & Grammaticam, quàm Spiritua-  
lem & Salvificam, *Matth. 16. 17. 1. Cor. 2.*  
*14.* sive praxin divinarum præceptorum  
à nobis requisitam, *Job. 13. 17.* Ad quam  
utramque nulla in nobis est *ικαροτης*,  
nulla virium nostrarum proportio,  
*2. Cor. 3. 5.* ideoq; precari oportet, ut in-  
struamur virtute ex alto. *Fluenta enim*  
*divinae gratiae non descendunt ad nos nisi*  
*per canales fidelis orationis.*

Tertia est necessitas illuminationis, 3. *Illumē-*  
*ut & Sanctificationis Spiritus S. sine quâ nationis*  
neque cognoscere mysteria possumus, *necessitas.*  
*Matth. 11. 25. 1. Cor. 2. 11.* neque Christum  
Dominum vocare, aut in ipsum credere  
*1. Cor. 12. 3.* neq; in verâ fide ac pietate  
proficere *2. Tim. 2. 7. Eph. 3. 16.* Ut solē sine  
sole nemo videt: sic Deum nemo agno-  
scit sine Deo, seu divinâ illuminatione.  
Unde *Lutherus Tom. 3. Jen. de serv. arbit.*  
*p. 117.* piē ait: *sint Spiritus S. luce ne u-*  
*num quidem jota in Scripturis perspicuum*  
*esse,* scil. quantum ad salutarem cogni-  
tionem. Non enim intelliguntur Scri-  
pturæ salutariter, nisi per Spiritum, à  
quo profectæ sunt, *2. Pet. 1. 20. 21.* cujus  
gratia & illuminatio quotidianis im-  
petranda est precibus, *Eph. 1. 17. c. 3. 16.*

Quar-

4. *Man-*  
*dati divi-*  
*ni Auto-*  
*ritas.*

Quartò instigare nos debet *mandatum divinum* non tantum generale de petendis quibusvis, quibus indigemus *Matth. 7. 7. Luc. 11. 9. Job. 16. 24.* de precibus in omnibus actionibus intermiscendis, *Ephes. 6. 18. Phil. 4. 6. 1. Thes. 5. 17.* Sed & speciale de impetrando Spiritus Sancti dono, *Luc. 11. 13.* ejusdem illuminatione *Eph. 1. 17.* Sapientiâ celesti, *Jac. 1. 5.* & verbi divini cursu & celebratione, *2. Thes. 3. 1.* Cujus gratiâ non tantum pro nostris in studiis Sacris progressibus, sed pro aliis etiam preces fundere tenemur, *Coloss. 4. 2.*

5. *Pericu-*  
*li gravi-*  
*tas.*

Quintò *periculum errorum variorum* nos inflammare debet ad preces ardentiores. Nunquam enim tam multi à vero Scripturæ sensu aberrassent, summo cum periculo, nunquam tam varia hæresium prodirent portenta, nisi pleriq; suo confidentes ingenio sapientiam cœlestem, gratiamqve Spiritus S. supernam, eâ, quâ par est, devotione, negligenter expetere. *Civitas quæ non est muris cincta, facile venit in potestatem hostium: sic animam non muniam precibus Diabolus facile rediget in potestatem suam.* Quicumq; Theologiae Studio

Studiofus feriis adversus Diabolum se-  
se non armat precibus, deceptionis ac  
seductionis facile fieri potest orga-  
non.

Sexto precum nos excitet *dignitas* & 6. *Precū*  
*utilitas.* Quid enim est oratio? *Fidelis dignitas*  
*precatio est mentis ad Deum peregrina-* & *utili-*  
*tio,* secundum *Clement. Alex. orat. 1. tas.*  
*Oratio est Colloquium cum DEO, eo-*  
*rumq; qvæ concupiscuntur, certa fides, di-*  
*cente Greg. Nysseno de Orat. Quid*  
*verò exoptatius? quid Studiofo Theo-*  
*logiæ dignius? quàm ad DEUM pere-*  
*grinari, cum DEO ipso conversari &*  
*fermocinari? Oratio est ascensio*  
*mentis in Deum, secundum Damascen:*  
*l. 3. de orthod. fide. c. 14. Est catena aurea,*  
*qvæ de caelo propendens subducit animas*  
*nostras, secundum Chrysoft. Epist. ad*  
*Theodos. Quorum autē potius est ascen-*  
*dere ad DEUM, quam qui DEO rebus-*  
*que Sacris se consecrarunt? Oratio est*  
*oranti subsidium, DEO sacrificium, &*  
*Diabolo flagellum. Oratione effo-*  
*diuntur thesauri, quos in Evangelio*  
*fides intuetur. Ut Moses in taberna-*  
*culum ingressus divina referebat re-*  
*sponsa; sic oratione DEO appropin-*  
*qvent*

quent Studiosi, ut divina intelligant  
 oracula. Per preces & impetratur &  
 augetur cœlestis sapientia, *Prov. 3. 2. Job.*  
*1. 5.* verusq; Sapientiæ finis obtinetur  
 & quicquid omninò desideratur, *Job.*  
*16. 24.*

7. *Exem-  
 plorum  
 Sancti-  
 tas.*

Septimò deniq; excitent Studio-  
 sum ad preces *exempla piorum DEI cul-*  
*torum; Mosis*, qui veram sapientiam à  
 DEO petiit, *Psal. 90. 13. Davidis, Psal. 119.*  
*Salomonis, 1. Reg. 3. 11. Sap. 9. 20. Discipulo-*  
*rum Christi, Matth. 6. 9. Luc. 11. 2. Senio-*  
*rum*, statum Ecclesiæ adumbrantium,  
*Apoc. 5. 9.* ac deniq; ipsius *CHRISTI,*  
*Job. 17.*

Si harum Septem rationum vel  
 unam tantum quotidiè in mentem le-  
 riò sibi revocet Studiosus Theologia,  
 fieri non potest, quin quovis Septima-  
 næ die magis magisq; inflammetur ad  
 preces: si singulis studiorum horis, qua-  
 rum *Septem* impendisse quotidiè stu-  
 diis sufficiat, aliqua mentem subeat,  
 nullam sine precatione, nullam sine  
 precationis fructu singulari transmit-  
 tet horulam.

*Orationis  
 in studio  
 Sacro usq.*

II. Qui diligentèr orat, orando  
 dimidium studiorum absolvit  
 Gnômè

Gnome hæc B. Lutheri longè veris-  
sima est, non solum *ob precum effica-*  
*ciam*, quibus impetrare possumus, quæ  
laboribus nunquam assequeremur, gra-  
tiam, benedictionem, felicem studio-  
rum progressum, illuminationem, Scri-  
pturæ intelligentiam, veram Sapien-  
tiam, confirmationem in fide, dedu-  
ctionem in tramite recto; sed etiam *ob*  
*precum indolem & naturam*; quæ pat-  
magna sunt studiorum Theologico-  
rum, non solum *practicè*, quæ ad pie-  
tatis praxin requiruntur preces; sed  
etiam *theoreticè*, cum per se, & proxi-  
mè mentem informet Oratio, recor-  
datione verborum è Sacris literis pe-  
titorum, ac meditatione earum rerum,  
quæ preces ingrediuntur. Dum enim  
precamur, animo ad DEUM directo ple-  
raque obversantur præcipua Religio-  
nis Christianæ capita, utpote de *SS.*  
*Trinitate*, quam invocamus: de *DEI*  
*potentiâ, sapientiâ, gratiâ*, quam sollici-  
tamur: de *nostrâ infirmitate*, quæ labo-  
ramur: de *Christo Mediatore*, ejusque  
meritis ac *intercessione*, ob quæ exaudi-  
ri petimus: de *Spiritus S. gratiosâ illu-*  
*minatione, verbi & Sacramentorum effi-*  
*caciâ;*

*caciâ, ut & fide, charitate, spe, & id genus aliis χαρισμασι, quæ precibus ex-*  
*petimus: de tentationibus mundi, Satana,*  
*carnis, quarum revelationem desidera-*  
*mus: de vero DEI cultu, humilitate, &*  
*duciâ, reverentiâ, quibus preces nostras*  
*stipatas esse cupimus: de gloriâ nominis*  
*divini, Ecclesiæ edificatione, ac denique*  
*de eternâ salute, ad quam omnia dirigi*  
*exoptamus & vovemus. Quæ omnia*  
*ἐπισημασθῆς complectitur Oratio Oratio-*  
*num à Christo præscripta. Dicendo Pater*  
*noster, inquit Chrysostr. in cap. 6. Matth.*  
*& veniam peccatorum, & pœnarum in-*  
*teritum, & justificationem, & sanctifica-*  
*tionem, & liberationem, & filiorum ado-*  
*ptionem, & hereditatem DEI, & fraterni-*  
*tatem cum unigenito copulatam, & Spi-*  
*ritus S. dona largissima, uno sermone si-*  
*gnificavit. Si tot & tanta mysteria uni-*  
*câ voce menti devotæ listi possunt,*  
*quot & quanta oratione integra exhibi-*  
*beri putabimus! Qui Psalmis Davidi-*  
*cis utuntur, non possunt sanè devotè*  
*mente illos recitare, quin multifaria*  
*illa rerum sacrarum objecta menti pie*  
*sistantur: ideoq; etsi loquantur DEO,*  
*cum orant pii, loquentem tamen Deum*  
*simu*

simul audiunt, ejusq; verbum meditantur, quia è verbo DEI preces depromunt. Unde pii precatōres sæpè in precibus attenti, ea penetrant, cognoscunt, ac divinâ illuminatione, percipiunt, quæ alioquin singulari investigata labore deprehendere ac penetrare ipsis data non sunt. Animadvertunt non rarò in materiâ precatōnis, quæ aliàs sæpè cogitatione prætermiserunt: ideoq; non minus verè, quàm piè dictum est: *Lectio erudit, Oratio erudit simul & impetrat.*

III. Precatio humilis sit, ac fiducia & devota.

*Orationis  
qualitas.*

*Devota*, quia non audit te DEUS, nisi te ipsum audias, *Psal. 5. 2. 3. Quid prodest labiorum strepitus, si cor est mutum?* inquit *Isidor. lib. 3. de sum. bono. c. 8.* Ideoq; cogitationum potissima cura habenda in precibus, monente *B. Chemnitio*. Appropinquandum DEO, non solum ore & labiis, sed corde & Spiritu, *Psal. 27. 8. Es. 29. 13. Humilis*, quò cor contritum DEO offeramus, verâ pœnitentiâ, *Psal. 51. 19.* uniceq; ad divinam gloriam omnia dirigamus humili reverentiâ,

tiâ; *Pfal. 115. 1. Fiducialis* sit, ita ut Christi  
merita ac preces Deo in precibus nos-  
tris sistamus, & ab illo sanctificatio-  
nem in veritate, & incrementum salu-  
tare in doctrinâ secundum pietatem,  
verâ fide exoremus, *Joh. 17. 17. Rom. 14.  
14. 1. Tim. 2. 8. Jac. 1. 6. Ebr. 11, 6.* ideoque  
preces non temerè prorumpant; sed *se-*  
*dem præcuntem sequantur.*

*Orationis  
assiduitas.*

IV. Studiosorum Theologia  
est frequentè orare, precatione  
studia inchoare, eâdem illa conti-  
nuare, & concludere diebus sin-  
gulis.

Si omnibus hominibus incumbit  
*ἀδικαλέειν* orare, *1. Theß. 5. 17. Luc. 18. 1.*  
h. e. mentem semper ad Deum directam  
habere, nec preces unquam negligere,  
multò magis id ab iis requiritur, qui se  
*specialiter* Deo studiisque Sacris man-  
cipant. Quantò pluribus vel prodes-  
se salutari doctrinâ possunt Theologi  
vel obesse erroribus & exemplo Ma-  
taologi, tantò studiosius orandum est  
cultoribus Theologiae pro salutari pro-  
fectu, non suo tantùm, sed Ecclesia  
bono. Initium itaque capiant *mane* die-  
bu



bus singulis à precibus, nec inter ipsa studia preces negligant, præsertim ordinatis precum horis, imò subindè jaculatrix precibus, aut suspiriis saltem ad DEUM emissis, illuminationem & gratiam DEI expetant, ut novâ semper gratiâ, novoqve robore Spiritus instruantur. Sicut enim corpus continuâ respiratione eget; sic & anima indiget respiratione continuâ, quæ fit emittendo ad DEUM per orationem calida suspiria, & recipiendo à DEO novam Spiritus S. gratiam. Deniq; concludendâ sunt studia quotidiè piis precibus, quibus DEO gratiæ persolvantur, ejusqve gratia, ut ea, quæ hoc die didicimus, sibi gloriosa, nobis salutaria, Ecclesiæ fructuosa esse jubeat, ac uberiorum donorum gratiâ nos dignetur, humiliter exoretur.

V. Cum novum quoddam argumentum aggredieris, pro felici successu ores: cum id absolvis, pro gratiâ præstitâ gratias agas.

Fieri id vel maximè tùm debet, ubi novum pensum inchoatur, aut absolvitur, & cum primis ubi grave quoddam

*Specialis  
orandi  
causa.*

argumentum suscipitur, cujus difficultatem ut superemus, largietur superna gratia. Ita cum difficilis e. gr. Scripturæ locus tractatur, crebris suspiriis ad DEUM non parùm difficultas mitigabitur. Quæ gratia devotâ gratiarum actione vicissim celebranda.

*Orationũ  
formule.*

VI. Formulæ precum certæ seligantur, interim, quas Spiritus suggeret, ejaculatoriæ non posse habeantur.

Precum formulas & colligere decet Studiosum Theologiæ, & familiares sibi reddere, ac certas pro usu quotidiano seligere, nō neglectis interim aliis, neque posthabitis, quas fortè devotio cuivis pro re natâ ex tempore dicitur, precatiunculis. Quamquam verò omnes *Psalmi Davidici* huic studio utiles sint, ac conducant omninò, ut singulis diebus aliquot, verb. gr. *duo*, aut *tres* præmittantur cæteris studiis, quòd ita Psalmorum liber per totam vitam longè saluberrimus, tantò familiarior nobis reddatur; facit tamen huc præcipuè *Psalms 119*, quem crebrò in precibus adhibere fas est: aut quædam ex ille

illo suspiria colligere, ac in formam precum redigere. Adhiberi etiam poterit precatio è *Jer:15.16. & Sap.9. 10.* In N. T. itidem variæ huc spectant preces præter *Orationem Dominicam*, utpote ex *Eph.1.17. seqq. cap.3.16. seqq. Phil.1.9. 10.11. Col.1.9. 10.11. 2. Thessal.1. 11.12.* è quibus contexere licet certam formulam, qualis nostra est, tum procatio, tum gratiarum actio consueta, quam prælectionibus publicis præmittere vel subungere solemus. Utramque hic inferere placet. *Illa sic habet:*

*Domine DEUS noster, qui dixisti, ut 2. Cor. 4.6.*  
è tenebris lux splendesceret, illucescas  
quos nobis ad præbendum lumen cogni-  
tionis gloriæ DEI, in facie Domini nostri  
Jesu Christi: *Fac ut omnes relectâ facie 2. Cor. 3.*  
gloriam Domini velut in Specula intuen-  
tes, in eandem imaginem transforme-  
mur, de gloria in gloriam, veluti à Domi-  
no Spiritu, per Dominum nostrum Jesum  
Christum, Amen.

Hec verò talis est:

*Gratias agamus DEO nostro semper,*  
*ob gratiam, quæ data est nobis in Christo 1. Cor. 1.*  
*Jesu, quòd in omnibus ditati sumus in ipso, 4.5.7.8.*  
*omni loquendi facultate, omniq; notitiâ,*

adeò ut nullo destituamur Charismate, <sup>et</sup> <sup>con-</sup>  
 spectantes, usq; dum patefiat Dominus <sup>in</sup>  
 ster Jesus Christus. Idem DEUS <sup>con-</sup> <sup>fir-</sup>  
 met quoq; nos inculpato in fide, usq; ad  
 Eph. 3. 21. diem Domini nostri Jesu Christi: <sup>Et</sup> <sup>in</sup>  
 gloria in Ecclesia DEI per Dominum <sup>no-</sup>  
 strum Jesum Christum, in omnes aetates se-  
 culi seculorum, Amen.

Potest & huc Paulina adhiberi pre-  
 catio sub auspiciis operarum, Eph. 1.  
 17. c. 3. 15.

Domine DEUS pater Domini nostri  
 Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in  
 caelo & in terrâ, dona mihi, quæso te,  
 Spiritum sapientiæ & revelationis in agni-  
 tione tui, & illuminatos oculos cordis  
 mei. Des quoq; secundum divitias gloriae  
 tuae virtute corroborari per Spiritum tu-  
 um, quoad interiorem hominem, ac Chri-  
 stum habitare per fidem in corde meo, meq;  
 in charitate radicari & fundari, ut pos-  
 sim comprehendere cum omnibus Sanctis,  
 quæ sit latitudo & longitudo & sublimi-  
 tas & profunditas, scire etiam superemi-  
 nentem scientiam charitatem Christi, ut  
 implear in omnem plenitudinem Dei per  
 propter Dominum nostrum Jesum Chri-  
 stum, Amen.

Similiter gratiarum actio in conclusione operarum adhiberi potest, quæ ibidem subjungitur *Eph. 3. 20. 21.*

*Ei, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus secundum virtutem, quæ operatur in nobis, ipsi gloria sit in Ecclesia, in Christo Jesu, in omnes generationes seculorum, Amen.*

Quibusdam placet ante studia hymnum præmittere Ecclesiasticum: *Veni Sancte Spiritus, &c.* vel illum, quem Theologi Nostri Ratisbonensi disputat, præmisere anno 1601:

*DEUS, qui corda fidelium Spiritus Sancti tui illuminatione docuisti, da nobis in eodem Spiritu rectè sapere, deq; eius consolatione semper gaudere, per Dn. nostrum Jesum Christum. Amen.*

Præmittere etiam possumus benedictionem breviorē: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen.* Et concludere *δοξολογία, Gloria Patri Filio, & Spiritui Sancto ex hoc, nunc, & in secula. Amen.*

Adhibere licebit quoq; post studia hanc gratiarum actionem;

*Gloria sit omnipotenti DEO, pro reve-*

latione verbi sui, quam mihi cedere faciat in odorem vite ac salutis sempiternæ. Amen.

Alias ex Hilario sub finem lib. 1. de Trin. Ephrem Syro apud Maximum, Nazianzeno, Augustino, Fulgentio de prædest. Thomâ Aquinate, B. Luthero, formulas vide in Method. stud. Theol. Dn. D. Gerhardi pag. 30. quibus adde hymnos Penitenciales, & id genus alia Cantica Sacra, quibus & excitatur animus ad devotionem, meditationem, & obtinetur Spiritus S. gratia.

Cum precibus conjungenda Sanctitas.

VII. Cum precibus piis conjunctum esse oportet veræ pietatis studium.

Sanctæ enim ad DEUM tollendæ sunt manus, 1. Tim. 2. 8. Quomodo sanctificationem nominis Domini & voluntatis DEI adimplerem expetere precibus possumus, si nomen Domini ipsum non sanctificare, sed profanare, voluntatem DEI non adimplere, sed violare pergimus? Illius oratio est perfecta, ait Cassiodorus in Psal. 16. cujus & causa clamat, & lingua, & actus, & sermo, & vita, & cogitatio.

Adhæc

Adhæc Studiosos Theologiæ cum-  
primis veritatis piæ, & pietatis veræ Stu-  
diosos esse oportet; (1.) quia sic insti-  
tuit Timotheum suum Apostolus, 2.  
*Tim. 2. 24. Juvenilia desideria fuge, se-  
ctare vero justitiam, fidem, charitatem &  
pacem.* Conf: 1. *Tim. 1. 18. 19. c. 3. 2. c. 4. 7.  
12. & Tit. 1. 17.* (2.) Spiritus S. verus &  
unicus Doctor nō habitat in corde pec-  
catis subjecto, *Joh. 16. 13. 1. Johan. 2. 27.  
Mundus non potest accipere Spiritum  
veritatis Joh. 14. 17.* (3.) Theologiæ Stu-  
diosus versatur circā Sapiētiā cœle-  
stem, quæ non carnalis est, sed *Spiri-  
tualis & Sancta, Jac. 3. 15. Cujus initium  
est timor Domini, Psal. 111. 9. Prov. 1. 7.  
c. 9. 10.* (4.) Theologia non consistit  
in merâ cognitione, sed affectu & pra-  
xi. *Res nostræ Religionis, ait Justinus  
non in verbis; sed in factis consistunt.*  
(5.) *Beatus, qui Scripturas convertit in  
opera, ajunt veteres; hæc si sciveritis,  
ait Christus Joh. 13. 17. beati si feceritis.*  
Discipuli ergo Christi sic scrutari de-  
bent Scripturas, ut easdem in praxin  
convertant, & quod sciunt, faciant.  
(6.) Econtrâ vero non intrat Sapien-  
tia in animam malignam, nec habita-

bit in corpore peccatis subdito. Sap.  
 4. Qui ergo peccatis indulget, Sapi-  
 entia domicilium fieri nequit. (7)  
 Ut *Levita*, priusquam ingrederentur  
 in tabernaculum, ablui debebant  
*Ex. 30. 18. 1. Reg. 7. 23. 2. Par. 4. 2.* sic ve-  
 ra sanctificationi, & purificationi vi-  
 tae studere debent, qui aliquando in ta-  
 bernaculis Domini ingredi & egredi  
 volunt.

## CAPUT III.

## DE MEDITATIONE.

*Meditatio  
 quid?*

**A**lium requisitum generale  
 est Meditatio, quae est Scriptu-  
 ra Sacra, & quae ex ea, & circa eam  
 discenda sunt, attenta considera-  
 tio, ut fidei mente custodiantur,  
 & ad usus salutare transferan-  
 tur.

*Quae ad  
 eam fa-  
 ciunt?*

Ad eam faciunt Lectio, Audi-  
 tio, Recitatio, Scriptio, Declama-  
 tio, Concio, Disputatio, Reperitio  
 & quaecumque aliae exercitationes.

Hoc



Hoc est ἐπειὼν τὰς γερ. φὰς, quod inculcat Christus Job. 5. 39. attendere lectioni 1. Tim. 4. 13. meditari in lege Domini, Psal. 1. 2. audire libenter Sipientiam & investigare ceu Thesauros. Prov. 2. 4. Objectum Meditationis est Verbum DEI Scripturâ Sacrâ comprehensum, & quæ ad Verbum DEI spectant, quandoquidem vel de Scripturâ Sacrâ, vel de Scripturâ Sacra, omnium credendorum & agendorum norma, vel ob Scripturam S. omnis suscipiatur meditatio. Nam & Scripturæ causâ linguas præcipuè ac disciplinas quasvis addiscit Studiosus, dum præparatur ad Theologiam, & cum in Theologia ipsâ jam versatur, Scripturæ lectione, consideratione, ejusdemq; applicatione occupatur, quo faciunt studia Polemica, ut veritas è Scriptura asserenda, falsitas ex eadem profliganda sit, & quævis alia. Si quidem tum historia Ecclesiastica eâ potissimum de causâ cognoscatur, ut quomodo Verbum Domini conservatum ac propagatum sit sciamus, tum etiam, quicquid omnino addiscimus in Theologîâ, propter Verbum DEI addiscendum sit. Si verò generalius objectura

Objectum

etiam exprimere velimus, dicamus id  
*Meditationem rerum Theologicarum, seu*  
*ad Theologiam spectantium.*

*Finis Me-*  
*ditationis.*

Finis est tum Sacrae doctrinae  
 tenta consideratio, ut memori animo  
 custodiatur ac recondatur, tum *usualis*  
*eiusdem applicatio*; quo nomine requi-  
 ritur à Studio Theologiae & *σοφίας*  
*πνευματικῆς*, quae crebra meditatione  
 acquiritur, & *δύναμις ἐπισηνευτικῆς*, seu  
 facultas alios docendi ea, quae quis di-  
 dicit. Ad quam praecipue *Exercitatio* fa-  
 cit, quae duo Christus per *σοφίαν καὶ*  
*σώφρα* designat. *Luc. 21. 15. Conf. Eccles. 18.*  
*23. 1. Tim. 3. 2. 2. Tim. 2. 2. Tit. 1. 9.*

*Media.*

*Media* quae huc faciunt, sunt *ἀποδο-*  
*σεις καὶ γυμνασμάσια*, *Auditio* & *Exer-*  
*citatio*. Ad illam spectat *Lectio, Scriptio*;  
*Hec* verò peragitur variis modis; è qui-  
 bus eminent cum primis tum *Conciona-*  
*toria*, tum *disputatoria* *Exercitia*, qui-  
 bus tamen accedunt etiam *Exercitia*  
*Declamatoria, lectoria* (cum aliis quid-  
 piam praelegitur, aliiqve docentur, ut  
 docendi facultas acquiratur) item *Scri-*  
*ptiones* & *compositiones*, *locorum colle-*  
*ctiones, repetitiones* &c.

## CANONE S.

I. Meditatio suscipiatur rerum *Medita-*  
 necessariarum & utilium, non fu- *tionis ma-*  
 tilium & vanarum, nedum scan- *teria.*  
 dalosarum & damnosarum.

*Necessariae* sunt, quibus futurus Theo-  
 logus carere non potest, inter quas e-  
 minet *Scripturae lectio*, sensusque ejusdem  
 indagatio: *Locorum Theologicorum cog-*  
*nitio*, *controversiarum*, quae cum hare-  
 ticis agitantur, *tractatio*, itemque *Theo-*  
*logia moralis* &c: *Utiles* sunt, quae con-  
 ducunt ad Studium Theologiae, suosque  
 usus praebent, etsi praecise necessariae  
 non sint, qualis est *Scholasticorum quo-*  
*rundam moderata lectio*, *Criticarum*  
*quarundam observationum indagatio* &c:  
*Futiles* autem & *vanae* sunt innumerae  
*disputationes* & *questiones Scholastico-*  
*rum*, otiosorum hominum vana com-  
 menta, quibus legendis tempus perde-  
 re religio sit. *Scandalosae* & *pernitiosae*  
 sunt, quae vix absque scandalo legi aut  
 tractari possunt, nec periculo vacant,  
 cujus generis sunt, quae contra hone-  
 statem disputantur; itemque *libri hereti-*  
*corum*

corum, cum leguntur primis annis; priusquam quis in veritate fundatus est.

*Modus.*

II. Meditatio non sit Enthufiastica, vel Fanatica, sed Scripturæ S. revelationi innitatur.

Non enim amplius DEUS nos immediatâ revelatione informat, ut olim Prophetas & Apostolos, nec ullam Ipem aut promissionem nobis fecit immediatæ revelationis; sed opus est mediis certis, ac meditatio nostra objecto habere debet *Scripturam & res Scripturæ*; ideoq; *Svenckfeldianorum, Weigelianorum, Novellorum Prophetarum & aliorum Fanaticorum Enthufiastica* speculationes, ac meditationes reprobantur; quorum more revelationes immediatas expectare minimè fas est; *quo de alibi.*

*Tempus.*

III. Meditatio diurna potius sit, quàm nocturna.

Meditari equidem *noctes ac dies* jubemur in lege Domini. *Psal. 1. 2. ratione devoti affectus*, sic ut nunquam non mentem habeamus DEO *consecra-*

secratam; sed studiis meditationum ordinariis *dies* impendendæ, non noctes, quia DEUS laboribus diem, noctem quieti destinavit. Ordo ergo divinus invertendus non est. *Extra ordinarii* tamen casus excipiuntur, cum necessitas legem non habeat.

IV. Meditatio ordinata sit non confusa. *Ordo.*

*Ordinata* ratione 1. *Temporum*, tum ut certo tempore id absolvamus, quò præfixo tantò annitemur propensius ut metam intra ejusdem decursum attingamus, tum ut certas horas assignemus lectionibus & meditationibus ordinariis, & matutinis & pomeridianas, quas, quoad fieri licet, observemus. 2. *Lectionum & materiæ*, ne sine ordine & methodo, modo in hæc, modo in illa irruamus studia, & confusè eadem tractemus, sed uno demum studio absoluto, aliud aggrediamur, & unumquodq; certis limitibus circumscribamus, & ordine justo proficquamur. 3. *Authorum & Preceptorum*, ne promiscue quosvis sive legamus sive audiamus, sed qui pro illo tempore

*Ratione  
tempo-  
rum.*

*Lectio-  
num.*

*Autho-  
rum.*

*tempo-*

tempore & studii isti temporis assignari ratione conducunt. Ita qui versatur in *Catechesi* & *Didacticâ* capitum Theologiae cognitione, non potest cum fructu tum vacare *Patrum* aut *Scholasticorum* lectioni. Sic utile non est, diversissimorum studiorum collegiis uno ac eodem tempore interesse; sed ea quæ pro isto tempore scopo inserviunt, frequentare: ubi præstat talium unum vel alterum diligenter, ac prout par est, accuratè, quam tria vel quatuor, aut plura simul & semel tumultuariè aut superficialitè persequi, & expedire. Semper Scopus non tam generalis totius curriculum studiorum, quam specialis istius anni aut semestris respiciendus; nisi fortè occasio aliud svadeat haut temerè negligenda; cum sc. ea docentur, quæ non facillè alias propositum iri, persuasi sumus.

*Prioritas  
ratione  
Exercitiorum.*

V. *Acroases* præcedere oportet *γυμνάσια* & *Exercitationes*.

Ad *Exercitationem* enim requiritur præcedanea cognitio, quæ ut acquiratur, opus est *acroasi* adeoq; tum audiendi

endi sunt vivi Præceptores, *in* legendi muti, quo informemur de iis, quæ sub Exercitationem cadunt, eademque perficiuntur. Prius ergo Studiosi lectiones frequentare, Dd. audire, scripta varia volvere, ac revolvere debent, quàm ad exercitia sive Concionatoria sive disputatoria proficere.

VI. Inter acroases primum locum sibi vendicat auscultatio Præceptorum, alterum lectio Scriptorum.

*Specialis Ordo meditationum.*

De primis hoc annis studii Theologici potissimum intelligimus. Cum enim viva vox magis doceat, juvat primitus frequentare lectiones Dd. quàm quis se variorum Scriptorum immergat labyrintho, sine informationis filo Ariadnæo. Nec verò feliciter proficiunt *οἱ ἀυλοῖδαντοῖς*, sed se ipsos plerumq; seducunt, sæpe turbas opiniones aut incommodas locutiones invehunt, aliorum non asveti lingua sibi solis sapiunt, ac raro aliquid boni aut eximii præstant in Ecclesiâ.

*Cur debet at præcedere auscultatio Præceptorum lectioni?*

*Acroasibus verò docentium Deus peccat*

liarem promisit benedictionem, *cujus*  
 non in Ecclesiis tantum, sed etiam in  
 Scholis reddimur participes. *Exod. 20.*  
*24. Matth. 18. 30. Ebr. 10. 25.* Et prolixius  
 atque plenius pro auditorum capta  
 explicantur vivâ voce plerâq; quam  
 scriptis exposita sunt: habetq; præter  
 ea viva vox quid latentis *ὀφθαλμοῦ*  
 afficit plenius secundum Hieron. ad *Pauli*  
*lin.* Audita magis imprimuntur, per  
 sensum disciplinæ, firmissimè cohae-  
 rent. Unde semper in Ecclesia vi-  
 vae vocis informationes magno in pre-  
 cio habitæ, quod testantur *acroasies*  
*in Scholis Patriarcharum*, ubi nulli ad-  
 huc extabant libri; *Schola Prophetarum*  
*in quibus lex explicabatur filiis Prophe-*  
*tarum 1. Reg. 19. 20. 2. Reg. 4. 28. Collegia*  
*item Sacerdotum ac Levitarum*, qui in-  
 struebantur ad futurum ministerium;  
*Schola Babylonica Danielis & post ca-*  
*ptivitatem Babylonicam Schola ab Es-*  
*drâ, Nehemiâ institutæ, Synagoga Ju-*  
*daeorum, Schola Christi*, in qua Aposto-  
 li instituti sunt, *Schola Christianorum*  
 innumera, qualis erat *Alexandrina*,  
 in qua docuerunt *Pantanus, Clementis*  
*Alex. Origenes; Carthaginensis*, in qua  
*Tertul-*



Tertullianus, Cyprianus; Casariensis, in  
 quâ Origenes & Gregorius Neo-Casarien-  
 sis &c. quibus successerunt postmodum  
 Academiæ, Gymnasia, Scholæ illustres &c.  
 quæ cur sustentantur à Magistratu, quàm  
 ne simus ἀνορθόδοξοι? Quid? quod  
 magni in Ecclesiâ Doctores non dubi-  
 tarint vivos sibi seligere Præceptores:  
 Basilus M. Syrum quendam, Hieronymus  
 Didymum Alex. &c. Qui verò lectiones  
 Doctorum contemnunt, nec frequen-  
 tant, illi benedictionem DEI insuper  
 habent beneficium, quod per Scholas  
 ac præceptores præstatur, negligunt, si-  
 bi ac Ecclesiæ defunt, aut discrimen  
 etiam quoddam accersunt.

VII. In legendis Scriptoribus *Delectus*  
 delectus adhibendus est debi- *in lectio-*  
 tus. *ne Scri-*  
*ptorum.*

Non enim omnes aut orthodoxi  
 satis, aut perspicui sunt. Consilio  
 ergò opus est, quòd à Præceptoribus  
 peti potest, & in hac Methodo ex  
 parte subministrabitur. Cavendum  
 imprimis, ne heterodoxi aut suspe-  
 cti legantur ceu Orthodoxi, quod  
 Ee 2 multos

multos fefellit, inprimis in lectione scriptorum *non-Polemorum*, ubi se primâ facie non insinuant statim errores, sed vel *in principiis* latent, & *in hypothesebus*, vel *sub verborum involucribus*. Quælia sunt scripta *Philosophica*, ut & *Critica*, vel *Philologica* adversariorum in quibus sæpè eas *maximas*, *Canonæ*, *Observationes*, *dictorumq;* *explicationes* ingerunt, quibus imperiti præoccupantur, per meram inadvertentiam v. g. *Scripta Philosophica Goclenii*, *Timpleri*, *Logica Keckermanni* &c: *opuscula quædam Drusi* &c: item *Exegetica* utpote *Glosse Piscatoris*, *Tosfani*, *annotata Hugonis Grotii* perniciosissima in dictis cardinalibus. Item *scripta homiletica*, utpote *Postilla Abrah: Scultetii Molleri* & aliorum; nec non *alia ad pietatem concinnata*, *Timpleri*, *Perkinsii*, *Weigelianorum*, *Pratorii*, *Pontificiorum* &c.

Ordo in  
Exercitationibus.

VIII. In Exercitationibus hinc servandus ordo, ut primum repetitiones cum aliis, postmodum declamationes, tum demum disputationum Exercitia instituantur.

tur, ac deniq; Exercitia Homiletica seu Concionatoria tententur, quæ excipiat Scriptionum Exercitatio, ac tandem aliorum Informatio:

*Repetitiones* voco, quas nobiscum, vel cum aliis instituimus, quibus nos de iis, quæ auditione aut lectione accipimus tentamus; *Collationes*, quibus non solum lectiones nuda repetitione recolimus, sed de illis, ut & de aliis rebus sententias conferimus, cum iis qui eadem nobiscum tractant studia. *Repetitiones* sunt *Exercitia* tantum *memoriae*, *collationes* *Exercitia* quovque sunt *judicii*. De *declamationibus* Rhetores Ecclesiastici præcipiunt, in quibus & *memoria* & *judicium* exercetur. De *disputationibus* videri poterit *tractatus noster de methodo*, ubi prolixè tum *de materia* & *Objecto*, tum *de forma* & *processu* *disputationum* actum est. In his magis excolitur *judicium* quàm *memoria*: Illo qui carent, jejuni sunt *disputatores*. Videndum autè in Theologicis *disputationibus*, ut non tam nostras *Objectiunculas*, quàm adversariorum *rationes* accumpimus dicta

(1) *Repetitiones.*(2) *Collationes.*(3) *Declamationes.*(4) *Disputationes.*

(5) Con-  
ciones.

*Scripturæ*, quibus illi abutuntur, præponant: nec ea adducenda, quæ nos ipsi solvere possumus, sed in quibus nobis scrupulus aliquis relinquitur. *Homileticis Exercitationibus* locum post Gymnasmata præcedentia, ipsaq; disputationum exercitia demum assignemus, non tantum, ut eo magis firmemur in fide ac doctrina, priusquam alios docere præsumamus, sed etiam quo *πρόβησις* quædam dicendi per *declamationum & disputationum* exercitia procreetur, quâ maximè opus est in sermonibus ad populum habendis.

(6) Exer-  
citia Scri-  
ptionum.

*Exercitiis Scriptionum* complectimur ea, quibus vires ingenii periclitantur materiam aliquam elaborando sive *theticè*, sive *problematicè*, aut tractandi articulum quendam fidei aut dictum aliquod *Scripturæ classicum*, vel *Oraculum Spiritus S.* aut controversiam aliquam *Theologicam*, quorsum etiam pertinent *LL. CC. & adversariorum Theologorum*, vel *observationum & Miscellanearum collectio*, in usum privatum instituta. Tandem *lectionum* seu *doctrinæ exercitamenta* sunt, cum aliorum inferioris profectus Studiosis in *S. Theo*

(7.) Le-  
ctionum  
Exercita-  
menta.

Theologia aliquid explicare aut instil-  
lare, ipsosque instruere aggredimur,  
ut docendi aliquem habitum nobis  
comparemus, quæ fit tum *lectionibus*,  
tum etiam disputationum *exercitiis*,  
ad quæ tamen prius descendendum  
non est, quàm ubi alia superiora  
*γυνάσματα* præceserint, aut solida  
jam fundamenta facta sint: Quæ  
etiam præstat moderante, aut præ-  
sente Theologo quodam institui, ut  
quò facilius proficiamus, & si qua ex-  
remus, aut hæreamus, reduca-  
mur vel constitua-

mur.

§ (o) §

## CAPUT IV. DE TENTATIONE.

*Tentatio  
quid?*

Tertium requisitum est Tentatio, quæ nihil aliud est, quam exploratio quædam practica nostri profectus in Theologia, dum vel ab infirmitate carnis nostræ sollicitamur, vel cruce divina probamur, vel cribrationi Sarnæ subjicimur, quo fides nostræ confirmatio reddatur, bonique evadamus Practici Theologi.

*Quatuorplex?*

Tentatio alia est *humana*, alia *Divina*, alia *Diabolica*: Illa proficiscitur ab infirmitate humana, quæ caro nos tentat ad peccatum, qualis est lucta carnis adversus Spiritum in renatis, *Rom. 7. 18. Gal. 5. 26.* Ista fit immisssione crucis & calamitatis, quæ fides nostra exploratur & probatur. *1. Pet. 1. 6. 7.* Hac fit à Diabolo instigante ad dubitationem, Apostasiam à fide, securitatem, & varia peccata, divini permissione *Matth. 4. 1. Luc. 22. 31.* Qui autem

finis

finis tentationis divinæ est *per se*, idem  
 quoque humanæ ac Diabolicæ est *per*  
*accidens*: si scilicet divinam *intentionem*  
 & *directionem* respiciamus: ut puta no-  
 stra *probatio* & *Exercitatio*. *Tantum*  
*permittitur* Diabolus tentare, *quantum*  
*tibi prodest* ut *exerceris*, ut *proberis*, ut  
*qui te nesciebas*, à te ipso *inveniaris*, in-  
 quit Aug. Tom. VIII super Ps. 61. *Qui-*  
*dam* tentationes dividunt in *interiores*  
 & *exteriores*: illarum cum Dn. Hieron.  
 Wellero, in 1. Cor. 10. 13. duo principa-  
 lia genera faciunt, quod sint vel *humana*  
 vel *spirituales*. *Humanas* proprie  
 dicunt omnes tentationes ex humana  
 imbecillitate ortas, ut sunt contra *secun-*  
*dam tabulam Decalogi* v. g. accendi odio,  
*invidia*, *ira*, *cupiditate* *vindictæ*, *morosum*  
*esse*, *Φιλανθρον* & *arrogantem*, *sordidè ava-*  
*riū*, *metu periculi* vel *spe lucri tepidum* aut  
*remissum* *propendere ad πολυπραγμο-*  
*σύνην*, ad quæ vitia caro ex congenita  
 depravatione nos sollicitat ac impellit,  
 de qua humana tentatione 1. Cor. 10. 13.  
 agi censent. *Spirituales* verò tentatio-  
 nes vocant, quæ supra & extra intelle-  
 ctum humanæ mentis positæ sunt, cum  
 Satanæ suggestionibus suis pravis ceu

ignitis telis animam paulatim vulnerat, ut incipiamus dubitare de paternâ DEI providentia, de voluntate ejus beneficâ, de remissione peccatorum, de nostra ad eternam vitam electione, de promissionum divinarum veritate, de Scripturâ S. authoritate, de Ecclesiâ conservatione unde interni illi pavores ac errores de abjectione, de abnegatione Christi & Evangelii, de affectatione divinitatis & similes, quas summi illi Viri experti sunt, Abraham, Jacob, David, Paulus Petrus, B. Lutherus. Vid. Ps. 31. 22. Ps. 119. 82. Atq; hic secundum Lutheri glosam marginalem est σκόλοψ, de quo Paulus 2. Cor. 12. 7. Ad externas tentationes pertinent tum veritatis hostes aperti, sive hæretici, sive tyranni ac clancularii osiores, tum criminatores ac calumniatores &c. quibus exercetur patientia, & constantia probatur eorum, qui Sacris sese nuncuparunt studiis.

## CANONE S.

Tentatio-  
nis Usus.

Tentatio & mentem informat & voluntatem perficit.

Mentem informat, quia vexatio dat intellectum. Esa. 28. 19. & πειθήματα



ra. Non tentatus verò qvalia scit? Syr.  
34. 41. Ubi ergò multum crucis, ibi  
multum lucis. *Voluntatem perficit,*  
*quia primò cor humiliat* 2. Cor. 12. 7.  
*Dum vitia nos tentant proficientes in*  
*nobis virtutes humiliant,* ait Gregorius.  
(2). *A voluptatibus avocat. Quod lima*  
*ferro, quod flagellum grano, hoc facit tri-*  
*bulatio viro justo* (Theologo) ait Augu-  
stinus. (3). *Virtutes Christianas perfe-*  
*ctiores reddit* 1. Pet. 1. 7. Ideò Basilius T.  
1. Conc. 2. de fame & siccitate, *Naucle-*  
*rum, inquit, tempestas, athletam stadium,*  
*ducem pugna, magnanimum calamitas,*  
*Christianum verò* (Theologum) *probat*  
*& examinat tentatio.*

III. Tentatio est quidam velu-  
ti sensus Spiritualis & Experien-  
tia Oraculorum divinorum pra-  
ctica.

Tentatio-  
nis vis &  
efficacia.

Docet enim Tentatio non solum  
scire, sed etiam sentire & experiri certi-  
tudinem, veritatem, suavitatem, effica-  
ciam & consolationem verbi, quod id sa-  
pientia sit supra omnem sapientiam, di-  
cente Luthero super Ps. 119. Facit ut sen-  
tiamus

tiamus in Exercitio *verae* pœnitentiæ  
 DEI iustitiam ac iram, ut gustemus  
 in exercitiis *fidei* & *invocationis* DEI  
 bonitatem ac misericordiam Psal. 34.  
 9. 1. Petr. 2. 2. ut prægustemus in Ver-  
 bi deliciis & divitiis venturi seculi  
 bona, virtutes & gloriam, *Ebr.* 6. 4.

*Armatu-  
 ra Spiri-  
 tualis ad-  
 versus ten-  
 tationes  
 interiores.*

III. Aduersus tentationes in-  
 teriores opus est, ut probè sese  
 Studiosus Theologiæ armatura  
 Spirituali muniat.

*Eph. 6. 11.*

Tentationibus carere non posse  
 Studiosum Theologiæ docet *Syr. cap.*  
 2. 1. Opus ergò illis armatura Spi-  
 rituali *Eph.* 6. 11. seq. ut muniant sese  
 (1) *baltæo veritatis*, quo nempe veri-  
 tas animum probe muniat, non secus  
 atque cingulum lumbos, ne fluctuet  
 nec debiles, molles aut elumbes se-  
 mus. Ut lumbi, in quibus potissima  
 corporis vires sunt, cingulo firman-  
 tur, ne inter pugnandum miles labatur.  
 Ita animus veritate DEI firmandus est,  
 ne Diabolus nos dubitantes ac hæsi-  
 tantes facilius prosternat, ait *Hemmi-  
 gius* in h. l. (2) *thorace iustitiæ*. Cùm enim  
 à lege,

à lege, conscientia, & Diabolo accusamur, terremur, & ad desperationem sollicitamur, insultibus hisce nihil tutius opponi potest, quàm justitiæ Christi, quæ induimur, thorax. *Esa. 61. 11. Galat. 3. 27.* ne illi pectus nostrum feriant & pessudent. (3) *Calceamento Evangelii.* Ut enim decori sint pedes Evangelizantium super monte Ecclesiæ *Es. 52. 7.* oportet eos esse calceatos Evangelio pacis, als fertig zu treiben das Evangelium des Friedens; treiben/ das ist/ Predigen/ befennen / und alles thun / was zum Evangelio gehöret / ut eleganter explicat *B. Lutherus: (4) Scuto fidei,* quo inprimis opus est, ad excipienda & extingvenda ignita *Diabolicarum tentationum tela,* sive *dubitationum* de gratia Dei; remissione peccatorum; perseverantia in fide, electione ad vitam &c: sive *securitatis carnalis.* *1. Petr. 5. 14.* (5) *Galeam Salutis,* quæ est spes interpretate Apostolo *1. Thess. 5. 8.* Quæ promissiones divinas certo expectamus, nec ullis tentationibus earum certitudinem nobis eripi patimur. (6) *Gla-*  
*diâ*

*dio Spiritus, qui est Verbum DEI: Quo*  
 pugnandum Theologis non tantum  
 adversus externos hostes & Antago-  
 nistas, *Schismaticos, Hereticos, Ty-*  
*rannos; sed etiam adversus interiores*  
*tentationes carnis & Satanæ, Matth. 4.*  
*(7. Vigilantia precum, superare enim*  
 tentationes non possumus sine spe-  
 ciali gratiâ Spiritus S. quam impe-  
 trare oportet precibus. Quamdiu ma-  
 nus in precibus ad DEUM levamus,  
 vincit Israël Amalekitas, *hoc est, Spi-*  
 ritus carnem; Sed si levationem ma-  
 num, *hoc est, orationem remitti-*  
 mus, Amalekitæ vincunt Israël, *hoc est,*  
 caro Spiritum superat *Exod. 12. 11.* Hac  
 armatura DEI cum alios munire Theo-  
 logi debeant, ipsos prius eadem ap-  
 primè munitos esse oportet, quâ  
 tantò plus indigent, quanto majores  
 ipsis statuuntur insidiæ à Satanâ, cujus  
 regnum destruere moliuntur. Quo-  
 modo verò in specie adversus tenta-  
 tiones peccatorum, *diffidentia, secu-*  
*ritatis, ambitionis, superbie & avari-*  
*tis &c.* animus sic muniendus è Theo-  
 logiâ practicâ petendum est.

IV. In Schola crucis & persecutionis oculos dirigere oportet ad verbum lucis & consolationis divinæ.

*Verbum  
lucis in  
Schola  
crucis.*

Hoc ut fieri possit, cum Theologus vel ipse in Scholam crucis deducitur, vel alios in eâ constitutos informare debet, utile est fontes consolationum præcipuis calamitatibus opponendarum sub certos titulos digerere, & è Scripturæ oraculis & Exemplis adornare, quo semper in promptu habeantur. Muniendus est maturè Studiosi animus adversus calamitates omnis generis, & obfirmandus consilii DEI sapientissima dispositione. Psal. 119. 71. Esa. 28. 19. Voluntatis paterna gratiosissima propensione Ebr. 12. 5. seqq. archimagistri nostri Christi Prototypo, ejusdemque variâ tentatione & persecutione. Matth. 10. 24. Prophetarum & Apostolorum exemplo, & omnigena calamitate & persecutione. 1. Cor. 4. 11. 2. Cor. 4. 8. c. 6. 4. c. 11. 23. (Ne peculiarem ac propriam fortunam nobis expetamus) nec non auxilii divini promissione.

Pf. 91.

80 De Tentatione in Stud. Theol.

Pf. 91. 15. Esa. 43. 2, ac denique felicis  
tentationis *ἐκβάσεως* certitudine Rom.  
8. 28. 1. Cor. 10. 13. 2. Cor. 4. 17. Tan-  
dem precibus piis opus est, ne succur-  
bamus in calamitatibus; Sed easdem  
ope Spiritus Sancti superemus. *Quis*  
*non orat non pugnat, & qui non pu-*  
*gnat, cito vincitur, & coro-*  
*nam perdit.*

Sed hæc de generalibus  
Requiritis.



SECTIO

SECTIO ALTERA  
SPECIALIS.

ARTICULUS PRIOR,  
DE PRÆREQUI-  
SITIS STUDII  
SACRI.

CAPUT I.

DE PRÆREQUISITIS  
PHILOLOGICIS.

Specialia media distribuimus in duas classes: In primâ ea, quæ in antecessum requiruntur ad studium Theologiæ, in alterâ ea, quæ ipsum studium Sacrum constituent, expendemus. Illa iterum triplicis potissimum generis sunt, nempe prærequisita. 1. Philologica, 2. Philosophica, 3. Historica.

*Specialia  
requisita  
studii Sa-  
cri. dupli-  
cia.*

Pertinent hæc specialia media ad meditationem ( à qua tamen, quomodo nunquam abesse debeat, & ab oratio ac tentatio, suprâdictum) quæ propriè quidem est rerum Sacrarum; sed ut bono Studiosæ juvêtutis velificemur ea quoq; ex parte, quæ *πρæαποσνευσις* requiruntur, paucis attingemus. Quæ

*Prærequisita Philologica.*

dicimus 1. *Philologica*, complectentes jam hoc nomine, quæ potissimum ad linguas & orationem spectant, tamen latius sese porrigere Philologiam aliâ significatione satis famosâ haud simus ignari.

*Philosophica.*

2. *Philosophica*, quæ ad *Ομολογίαν*, & rerum notitiam naturalem, aut *Philosophicam* facit, quorsum etiam revocamus *ὀργάνων ὀργάνων* seu *Logicam*, utut eam alioquin partem *Philosophiæ* propriè non agnoscamus.

*Historica.*

3. *Historica*, quæ nempe eadem in antecessum prædeliberanda veniunt; re huc trahenda cogitentur omnia ad *Historiam* facientia, quorum multa in ipsa demum *Theologiâ* addiscenda sunt.

*Distributio Philologicorū.*

*Philologica* sunt tum, quæ ad linguarū notitiam futuro *Theologo*



logo necessariam vel utilem requirantur; utpote Vernaculæ & Germanicæ, Latinæ, Græcæ, Ebraæ, Chaldææ, Syræ, Arabicæ; tum quæ ad sermonis ornatum faciunt, ut sunt Rhetorica & Oratoria studia.

Sunt qui etiam *Persicæ & Æthiopice* lingvæ studium commendant Theologiæ Studiosis, præprimis ob *paraphrases quasdam Biblicas*, è quibus multa non contemnenda hausit, suisq; commentariis in N. T. insperfit *Lud. de Dieu*. Lingvam *Anglicanam & Gallicam* commendant Reformati ob Scripta, quæ ab ipsorum parte prodierint eximia in his, quælium designatio videri potest in *Vôëtii tractatu de Exercitiis & Bibliotheca Studios. Theolog.* Lingvam *Polonicam* commédant nonnulli ob ea, quæ a *Socinianis* hoc idiomate edita sunt, cognoscenda, & ob usum ejusdem in regno Sarmatico. Sed illæ, quas indigitamus, lingvæ primariæ sunt, quas si quis nôrit, cæte-

ris faciliè carere poterit. Ut autem heic non *omnia*, quæ ad *Philologiam* spectant, imò nec quæ ad *lingvarum & Oratorie* apparatus requiruntur, *universa* definire, sed tantum de *quibusdam* monere constituimus; ita minimè ob id censuram incurremus, quod *pleræque*, consultò etiam, prætermiserimus. Omnia quippe ex *sine & scopo* æstimanda, qui hic non est *plenam Didacticam Philologicam adornare*, sed *quædam tantum ad præparationem Theologiae* facientiâ indicare.

## CANONES.

*Lingva  
verna-  
cula.*

I. Lingvæ Vernaculæ, quæ apud nos est Germanica, cultura cum primis necessaria est, ob usum in Ecclesia.

Hæc quia minùs carere possumus, quàm Latinâ, in praxi, in Ecclesiâ, non minùs ea excolenda venit; quanquam communi errore parùm operæ eidem impendatur. Non autem præcisè requirimus, ut quis sectetur lepores, Vencres & Elegantias *Opitii*, aut ex professo

professo sese consecret studiis **Der**  
**Fruchtwürckenden Gesellschaft/**  
 ut vocari amat, nedum ut certet cum  
 aliis de palmâ in adornandis concio-  
 nibus juxta *stylum Opitianum*, quod Ca-  
 coëthes nonnullos invasit : sed ut *puri-*  
*tati, perspicuitati & ornatui decenti* lin-  
 gvæ vernaculæ Germanicæ studeat, quæ  
 præter communem usum è *lectione Scri-*  
*ptorum Germanicorum B. Lutheri* (quæ  
 præ aliis excellunt in *ενεργεια* & ele-  
 gantiâ lingvæ Germanicæ) ut & con-  
 stitutionû Imperialium (**Der Reichs-**  
**Abschied/**) haberi potest tersissimè.  
 Et cum in Bibliis Germanicis LUTHERI  
 non minùs *puritas, & concinnitas*, quàm  
*perspicuitas* hujus lingvæ probè obser-  
 vata sit (quod cum primis collatio cum  
 aliis versionibus Germanicis docet.)  
 non abs re fuerit, *Phrascologias Bibli-*  
*cas, adagia*, ac rariora quædam usu  
 vulgari nō obvia in Germanicâ Lingvâ  
 observâsse & annotâsse. Nimia au-  
 tem luxuries, *phrasesq; Alamodicæ* in  
 Lingvâ vernaculâ quæ sæpè scandala  
 præbent, rarò fructum ferunt, non tam  
 sectandæ, quàm fugiendæ.

Latina.

II. Latina Lingva ob usum in Scholis & autorum lectionem, ac scripturam necessaria, & diligentius excolenda est.

De hac, quia in Scholis & Classibus trivialibus ea addiscitur, præcipere opus non est. Optandum saltem foret, ut loco autorum quorundam Ethnicorum pueris ac juventuti Christiani scriptores proponerentur, ut unâ cum lingvâ veræ pietatis rudimenta, & quæ per totam vitam usui futura sunt, imbibere. Prostant loco *Horatii* Buchanani; prostant Oratores egregii inter Christianos, possentque cum in finem feligi ex antiquitate nonnulla & utilitate & elegantia præcellentia Patrum scripta, quæ inter optimos lingvæ latinæ Magistros merito suo censentur, iudicio etiam Magni *Erasmi*, utpote *Cypriani* nonnulla, *Hieronimi Apologia* & *Epistole*, *Minutii Felicis Octavius*, *Lactantius* cum notis *Betuleji*, *Arnobius* cum notis *Elmenhorstii* &c. quæ cum fructu tererentur à studiosâ Juventute. Non absimile invenio Consilium in

Voëtia

Voëtio l. i. c. 4. *Philologicum studium occupabitur in latinis, lectione Tertulliani de Anima, Ambrosii Hexaëmer. & cap. 6. Linguae Latinae cognitionem au-  
gebunt lectione 1. Lactantii cum notis Betuleji. 2. Tertulliani Apologetici & de pallio cum Scholiis Rhenani, Junii, Pamelii, Heraldii, Salmasii, la Cerda. 3. Arnobii cum notis & commentariis Steruchii, Elmenhorstii, Meursii, Heraldii. 4. Julii Firmici cum Notis Wouwerii. 5. Sidonii Apollinaris cum notis Savaronis. 6. Prudentii cum Scholiis variorum à Weitzio editis.*

Operam autem dent Studiosi magis, ut perspicuis, propriisq; verbis ac *Didactico stylo* (non neglecto debito sermonis ornatu) quid proponere possit, quam verbis phaleratis, distortis, stiloque obscuro ac perplexo. *Barbariem*, quoad fieri potest, fugiant, nec delectentur noviter aut etiam quondam à Scholasticis inventis, quos vocant, *terminis*, nisi quandoq; doctrinae accuratioris causâ necessariò adhibendi veniant. *Puritas, proprietates ac perspicuitas dicendi* cum accurato scribendi genere minimè pugnant.

Ad *varia antiquitatis* notitiam haud parum facient *Ludov. de la Cerda* Adversaria Sacra, Adversaria *Barthol. Thesaurus Criticus Gruteri*, cum primis *Joh. Gerhardi Vosii* de arte Grammaticâ libri, nec non *Scaligeri* de causâ Latinæ lingvæ, *Christiani Becmanni* de origine lingvæ Latinæ; Et è Veteribus *Varro & Festus* cum notis *Scaligeri* editi. Addo & *Lectiones antiquas Rhodigini, & Popmann* de Usu antiquæ lectionis, quorum plerosque comparasse & legisse non pœnitebit. Ex Autoribus Clasificis, præter *Historicos, Cicero* cum *Commentariis Joh. Thom. Freigii, Virgilius* cum *Comment. Taubmanni*, vel etiam *de la Cerda, Horatius* cum *comment. Bondi* aut *Torrentii, Plautus* cum notis *Parèi* aut *Taubmanni, Seneca Tragicus* cum *Commentariis Del Rio, Vosii* facile sufficient. & *Lexicographia* præter vulgares habebit *Onomasticon Matth. Martinii, Antiquarium J. Guilielmi Laurembergii.*

*Græcæ.*

III. Lingvæ Græcæ cognitione carere Studiosus Theologiae nullo modo potest.

Idq; præprimis ob textum originalem N. T. cujus omnes libros Græcam linguam agnoscere pro authenticâ, etiam Evangelium Matthæi, Marci, nec non Epistolam ad Ebræos probatum deditur Critico Sacro, vel Tom. 1. commentar. August. Confess. pag. 439. seqq. Linguam autem N. T. non esse purè Græcam, sed Helenisticam, haud gratim agnoscimus, nequicquam contranite Sebastiano Pfochenio Diatribæ suâ de linguæ Græcæ puritate in N. T. quam sub Censuram revocavimus Critico Sacro pag. 452. Deinde requiritur etiam Linguæ Græcæ notitia, ob Græcam versionem V. T. LXX cum primis Interpp. quæ & allegata est plerumq; in N. T. & magnam lucem in vocibus Phrasibusq; N. T. explicandis conciliat. De versionibus Græcis V. T. variis, deq; versionis LXX interpp. adornatione, autoritate, sinceritate, allegatione in N. T. utilitate, & id genus aliis, multis & diligenter egimus in Critico Sacro, qui hic videatur p. 693. Denique opus est etiam Græcæ linguæ cognitione ob Canones priorum Conciliorum, nec non ob Patrum Græcorum lectionem in lingua

De linguæ  
Græcæ necessit.

gvâ propriâ. *Latina* quidem lingua necessaria est ad sermonem & stylum, non autem *ἰστορίων* ad *Crisin*, nisi propter Patres quosdam Latinos. *Græca* verò ad *Crisin Sacram* omninò necessaria est, cum intelligi non possint Spiritus S. Oracula in textu authentico sine Græcæ lingvæ notitiâ.

*De administriculis.*

In gvâ quantum ad *Grammaticos*, probatur maximè *Gualtperii*, *Rhenii*, vel etiam propter compendiosam Methodum *Dn. D. Welleri Grammaticæ*, propter *Syntaxin* celebratur *cumprimis Grammatica Sylburgii*, vel etiam *Syntaxis Posselii*. Ob rariora non pauca in pretio habenda est *Grammatica Græca Clenardi* cum opusculis à *Schottæ* editis. *Athenæus* item ex editione *Causaboni*, ut & *Erasm. Schmid* tract. de *Dialectis Græcis*. Quantum ad *vocum notitiam*, ut familiares reddantur potiores ac memoriæ commendentur, quod *cumprimis* necessarium est, præter *Epitomen Radicum* lingvæ Græcæ, aut *Manuale Pasoris*, usum suum habet *Clavis Eilhardi Lubini*, vel etiam *Commenii Janua Græca*; quibus accedant *Lexicon Pasoris*, vel etiam *Scapule*, & si facul.



facultates alicujus id permittant, *Theſaurus lingvæ Græcæ H. Stephani*, nec non *Budæi Commentaria Græcæ lingvæ*, ut & *Lexica Phavorini*, *Suidæ ex editione Aemilii Porti*: item *Lexicon Heſychii*, *Lexicon Græco Barbarum Joh. Meurſii* &c. Ut autem in ſtylo lingvæ Græcæ ſeſe exerceant, *Rulandi Synonyma* ab *Heſchelio* aucta, cum *Calliographiâ Poſſelii* ex editione *Genevenſi* & *Cauſſini Phraſibus Poëticiſ* conducent. Ad *Etymologias* facient *Matth. Martini Cadmus* & *Onomaſticum*, nec non *Etymologicum Magnum* ex editione *Sylburgii*. Ex *Autoribus Clafſicis* præter *Hiſtoricos*, *Iſocrates*, ut & *Demofthenes Wolffii*, *Epiftolæ Xenophontis*, *Dialogi Luciani*, *Ariſtophanes*, ut & è *Poëtis* *Homerus*, *Heſiodus*, & *Theocritus* ex editione *Heinſii*, *Euripides* & *Pindarus* cum *Commentariis Schmidii* legantur. E *Sacris Scriptoribus* *Athanafii*, *Chryſoſtomi*, *Nazianzeni* & *Baſilii Magni* ſelectiores *Orationes*, ſi haberi poſſunt, ut & *Epiftolas Baſilii* & *Nazianzeni* carmina pervolvi, quæ teorſim edita cū notis *Joh. Langii*, operæ pretiū foret. Nonni *Paraphraſis in Johannem* cū *Ariſtarcho Heinſii*, ad *Criſin* facientia ſuggeret nō pauca.

*Ebraea.*

IV. Ebrææ lingvæ cognitio non minùs necessaria est Studio Theologiæ, quàm Græcæ.

*De lingv. Ebr. necessitate.*

Quia ut Græca Lingva ob N. T. textum authenticum cognitu necessaria est, ita Ebraea ob textum originale V. T. Et sicut in N. T. recurrimus ad fontem Græci sermonis, quò novum scriptum est Instrumentum: ita in V. T. ad Ebraicam recurrimus Veritatem, ait Hieronymus in Epistolâ ad Suniam & Fretelam Tom. III. p. 80. Aug. l. 2. de doctr. Christ. c. II. Latine quidem lingvæ homines, inquit, quos nunc instituendos suscipimus, duabus alis ad Scripturarum divinaram cognitionem opus habent, Ebraicâ & Græcâ, ut ad Exemplaria præcedentia recurratur, si quàm dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas. Nec verò minus debemus audire Spiritum S. in propriâ lingvâ loquentem in Vet. Test. quàm in Novo, imò tantò frequentius illic ad fontes recurrentum est, quanto impuriore deprehenduntur versionum rivuli in V. quàm in N. T. translationibus; & quantò difficiliora

cilia sunt plurima V. T. loca, quæ  
 nonnisi accuratioris literaturæ Ebrææ  
 beneficio dijudicari possunt. *Necessaria*  
 ergo est lingvæ Ebrææ notitia, ut fon-  
 tes adiri possint, & ut indubitato certè  
*simus de Spiritûs S. mente, ut emphases*  
 & *devotiora* verborum cognoscamus, ut  
 idiotismos lingvæ penetremus, *sacrumq;*  
 textum solidius vindicemus. Vid. gravis  
 adhortatio B. Lutheri in Comm. in Pl.  
 45. T. 3. Lat. Jen. Fol. 462. Quæ autem  
 de lingvæ Ebrææ appellatione, denomina-  
 tionis ratione, antiquitate, consecratione  
 ad Scripturam V. T. ejusq; causis, de pu-  
 ritate ejusdem in Codice Ebræo (non ob-  
 stantibus admistis Chaldaïsmis, Ara-  
 bismis, vel etiam Egyptiacis quibusdam,  
 Græcis ac Persicis) de integritate textûs  
 originalis Ebræi, literarum, punctorumq;  
 vocalium Ebraici antiquitate, de fontium  
 sinceritate ac puritate, & id genus aliis  
 scitu dignissima & jucundissima, ma-  
 gnâ etiam parte necessaria sunt co-  
 gnitu, Studioso Theologiæ, ea propo-  
 suimus ex professo Tom. I. super A. C.  
 vel Critico Sacro p. 307. seq. ubi etiam in-  
 primis punctorum antiquitatem contra  
 Autorem arcani revel. punct. assertum  
 ivimus

94 *De Prærequisitis Philolog.*  
ivimus argumentis illius examinatis &  
profligatis fusissimè.

Cæterùm lingvæ Ebrææ notitia  
ex lectione Ebræi Codicis sufficiens  
haberi potest. Cæteri, qui habent  
libri, puritatem ejus non assequuntur  
ac longè diverso stylo conscripti sunt  
ideòque eorum lectione Theologia  
Studiosus præcisè opus non habet, ad  
cognoscendam Indolem stili Biblicæ  
Nec usque adeò necessarium est ad  
Interpretationem textus Sacri, ut Scri-  
pta pervolvantur *Rabbinorum*; quan-  
quam interim non diffiteamur, ea sicut  
habere usus in *Grammatica* vocum signi-  
ficatione, ac requiri etiam *Rabbinismi*  
cognitionem ad *Judeorum Elenchum*.  
*Joh. Forsterus* Ebraicè doctissimus in  
præfatione Lexici sic de Rabbinis ju-  
dicat: nulla Lux, nulla notitia DE I,  
nullus Spiritus, nulla ullius disciplina  
artis vera ac solida scientia, nulla lin-  
gvarum, ac ne quidem Ebrææ lingvæ id-  
lis est cognitio. Quod longè certius  
solidiusque est judicio temerario  
tū, qui in disputat. inaugurali pronun-  
ciat, quò quis in *Rabbinicis exercitiis*  
fuerit, eò facilius palmam omnibus In-  
terpre-

terpp. eum prærepturum; ut & Consilio ejusdem, quod in Bibliotheca Studio-  
si Theologiae l. 2. Sect. 1. c. 5. præscripsit de legendis Ebraeorum Logicis, Chronologicis, libris Liturgicis, & Concionibus &c. quæ ut multa alia Bibliothecæ suæ inferfisse videtur Voëtius, non quod crederet ea Studioso Theologiae proficua aut necessaria; sed ut aliis πολυμαθείαν suam, qsi omnia ista penetrarit, venditaret.

Adminicula verò ad lingvæ Ebrææ notitiam hæc ferè sunt. E Grammaticis pro analysi textus S. facile sufficient Horologium Schickardi, aut Grammatica TrostI, unde præcepta discantur generalia, vel etiam Canones Meelfüreri, quibus ob rariora & difficiliora quædam in S. Codice occurrunt, Index in Grammaticis, Institut. Glasii, nec non Thesaurus Buxtorffii Grammaticus, ut & Grammatica Avenesi & Schindleri addantur. Ad Genesin & compositionem exercitiorum Ebraicarum magis videtur accommodatus Thesaurus Buxtorffii. Radices insuper memoriæ commendentur, quas horologio suo subjunxit Schickardus, quibus

96 De Prærequisitis Philolog.

quibus deinde accedere poterunt reli-  
 quæ è *manuali Buxtorffii*, quamquam  
 istæ penè sufficiant ad analysin lib-  
 cum primis Historici: cæteræ usu  
 cilius addiscantur. Cum præcepta  
 statim conjungenda est *praxis Analy-*  
*ca*, præsertim si vivo quis gaudeat Præ-  
 ceptore, sic brevi tempore præcepta  
 usum eorundem capiet ac resolvere  
 discet. *Initium* autem fiat *Analyse*  
 à *Genesi*, vel *alio libro Historico*. Rari  
 occurrentia ac difficiliora peculiariter  
 annotentur. *Lexica* præcipua sunt  
*Buxtorffii*, *Avenarii*, *Forsteri*, *Thesaurus*  
*Pagnini*, & *Marci Marini Arca Noë*. Sed  
 vel *Buxtorffii* sub initium sufficiet.

Chaldaï-  
 ca.

V. Lingva Chaldaica, Baby-  
 lonica quam vocant, requiritur  
 nonnulla in textu sacro: minus  
 necessaria est Paraphrastica,  
 Thalmudica.

*Necessitatem* hic æstimandam do-  
 cimus respectu *cognitionis Scripturæ*  
 cui omnia inservire debent in studio  
 Sacro. Atque ita primo loco necessa-  
 ria est lingvæ *Chaldaicæ Biblicæ* cog-  
 nio, quæ dicitur *Assyriaca*, ut & Baby-

Babyloni-  
 ca.

tâ ac Mesopotamica, quâ usi sunt *Laban Syrus Gen. 31. 47.* in lapidis fœderalis appellatione, *Jeremias cap. 10. 11.* in responso Chaldæis dando, & *Esra à cap. 4. 8.* ubi commemoratur Epistola scripta ad Regem Arthachastha, ejusq; responsum, & alia nonnulla scripta à Chaldæis, & ad Chaldæos usq; ad *v. 19. c. 6.* ut & *Daniel à v. 4. c. 2.* usq; ad *cap. 8.* exclusivè; Ubi Regis Nebucadnezaris relatio somnii, consultatio, & acta scriptaq; nonnulla recensentur. In quavis enim classe librorum Canoniorum *Chaldea* inserta, fortè ut dignitas ejus lingvæ commendaretur, quâ *Christus* ipse in diebus carnis suæ uti dignatus est. Accedit, quòd *Chaldæismi* passim inspersi Ebræo Codici, phrasèsq; nonnullæ haud possint rectius intelligi, quàm è lingvâ Chaldæâ. *Vid. Crit. Sacr. p. 318.*

2. Minus necessaria est cognitio lingvæ *Abyriacæ, Targumicæ, Paraphrasticæ,* quam Chaldæi interpp. adhibuerunt in *Targumim suis*, quanquam ea utilis omninò sit partim ob usus Paraphrasticæ non contemnendos in Interpretatione Scripturæ: præsertim *Targum*

*Targumica*  
s. *Paraphrastica*  
*ca.*

*Onkelos in Pentateuchum, & Babylonica*  
*seu Jonathanis in Prophetas. Tertium*  
*seu Hierosolymitanum Targum longius*  
 à textu abit: Partim ob convincen-  
*Judæos, qui summam illis translatio-*  
 nibus auctoritatem tribuunt. Vide-  
 tur de Paraphrasibus his *Helvicus in*  
 tract. de paraphras. Chald.

*Thalmu-*  
*dica.*

3. His adhuc minus necessaria est  
 cognitio lingvæ *Thalmudicæ*, quæ non  
 parùm difficilior est *Targumicâ*, cùm  
*Targumim* (excepto Hierosolymitanò)  
 puriori stilo gaudeant; Utilis tamen est  
 aliqua horum notitia *Theologis Pro-*  
*fessoribus*, qui in *refutatione Judaismi* oc-  
 cupantur, cùm *Thalmud* summæ sit  
 auctoritatis apud *Judæos*, eorumq; my-  
 steria exhibeat. De cujus libris vide-  
 ri poterit *Buxtorffius* in *append. ad*  
*abbrev. Hebr.*

Huc etiam reducitur *Lingvæ Rab-*  
*binicæ*, quæ cognationem habet cum  
*Thalmudico idiomate*, quæ usi sunt  
*Commentatores Biblici*, aliique *Rabbi*  
*Eorum Bibliothecam* recensitam vide  
 apud *Buxtorffium* l. c.

*Admini-*  
*cula.*

Adminiculantur lingvæ *Chaldæ-*  
*inprimis Biblicæ & Targumicæ Gramma-*



*tica Chaldaica Trostii, & Chaldaeo Syra Buxtorffii, & Lexicon Chald. & Syr. Buxtorffii. Quod quidem Idioma, quia parum distat ab Ebraeo, citrà difficultatem magnam, isto cognito, addiscetur. Ad Rabbincam v. & Thalmudicam dialectum conducet insuper Job. Buxtorffii tractatus de Abbreviaturis Ebraicis. Item Institutio ejusdem Epistolaris; ut & Lexicon ejusdem Targumicum, & Rabbincum à filio editum: nec non Lexicon Pentaglotton Ebraico-Chaldaico-Syriacum, Thalmudico-Rabbincum & Arabicum Val. Schindleri.*

VI. Lingva Syriaca addiscenda est, ob quædam in N. T. Syriaca, nec non ob Paraphrasin Syriacam perantiquam N. T.

Dicitur hæc *Syra Antiochena & Maronitica*, ad quam accedunt voces quædam in N. T. quæq; Christus in diebus carnis suæ usus creditur (vocum istarû syllabum proposuit *Dn. D. Glasius* in *Philologiâ Sacral.* 1. pag. 297.) & *idiotismi Syro Chaldaici*, quos notavit *Dn. Bartholomæus Mayerus* in *Philolog.* S. & *Angelus Caninius* in *Locis Hebrai-*

100 *De Prærequisitis Philolog.*  
cis N. T. prouti Syllogem vocum exoticarum omnium in N. T. exhibuit Dn. D. Gualtperius peculiari opere. Conferri etiam hîc poterit *Criticus Sacris* p. 453. ut & *præfat. Syriacæ N.T. editionis Trostii*. Versionem Syriacam nonnulli Marco Evangelistæ adscribunt; (quemadmodum etiam Maronitæ jactitant versionem Syriacam *Psalmorum & Pentateuchi* procurante Salomone ad instantiam Regis Hiram traductam & translata, & qui post ævum Salomonis scripti sunt, per Apostolos esse verfos. Vid. *Gabr. Sionita præfat. Psalm. Syr. & Job. Viccars præfat. in Decapla in Psalm.*) quibus licet minime accedamus, antiquam tamen hanc esse translationem nec exiguos præbere usus, faciles largimur. *Psalterium Syrium* ex editione Erpenii habemus, ut & *Parisiense*. Ad linguam Syriacam addiscendam conducet *Grammatica Chaldaeo-Syra Buxtorffii, Trostii, ut & Tremellii*. Item *Grammatica Syri Waseri*, & cum primis *Ludov. de Dieu; Lexicon Syriacum Trostii, Syro-Chaldaicum Lexic: Buxtorffii, ut & Val. Schindleri Pentaglott*. Nec absterri quis se-

se patiatur difficultate lingvæ. Nam si Grammaticam *Chaldaeam* perceperit, pauca admodum diversa in Syriacâ lingvâ præter *litteras* proprias, & voces peculiare, observanda venient.

VII. Lingvæ Arabicæ usus est *Arabica*. partim *Biblicus*, partim *Elenchticus*.

*Biblicus* ob Paraphrases *Pentateuchi*, *R. Saadia Gaon*, *Psalmorum*, quos ex Arabico in Latinum *Maronite* transtulere, ut & *Novi Testamenti Arabici: Elenchticus* ob lectionem *Alcorani Mahometici*, & confutationem *Turcismi*. Ad lingvam illam inservient *Rudimenta lingvæ Arabicæ Erpenii*, ejusdemq; *Grammatica Arabica*, nec non *Raphelengii*, & *Lexicon hujus*, cum *Lexico Pentaglotto Schindleri*, ut & *Proverbia Arabica Scaligeri* & *Erpenii*. Conferatur *Erpenii consilium* de studio Arabico feliciter instituendo præmissum *Rudimentis lingvæ Arabicæ*, & quæ edita in *Arab. Arabicis* leguntur in fine *Grammat. Arab. ejusdem*. *Eutyrium Ægyptium Patriarcham Alexandrinum de Ecclesiæ sue Originibus Arabicè* edidit Londini *Johannes*

*hannes Seldenus. De Arabicis & Arabismo in Jobo videatur Criticus Sacro p. 320.*

**IIX.** Ad Turcicæ, Persicæ, Æthiopicæ, Copticæ lingvæ notitiam, etsi utilitate suâ non careant, nec occasio nec tempus facilè suppetit.

In *Turcicis* habetur *Grammatica Turcica* Latine Paris. edita in 4to; in *Armenicis* Dictionarium Paris. item in 4to. Et *Doctrina Christiana* Petr. Pauli *Sacerdotis Armeni* in 4to. In *Persicis* *Historia Christi & Apostoli Petri, Hieronymi Xavier* adjectis notis, & *Grammatica Persica* Ludovici de Dieu itemque *Pentateuchus Tavossi*; in *Æthiopicis* *Novum Testamentum & Grammatica Æthiopica* Romæ edit. In *Copticis*, vel *Egyptiacis* *Lexicon Coptico-Arabicum* à Kirchero translatum. Sed hasce linguarum omnes addiscendi Studioso Theologiae nec occasio facilè nec tempus suppetit. E plerisque observatu digna *Lud. de Dieu* annotationibus suis in *Nov. Test.* inseruit.

IX. Rhetorica & Oratoria studia nullatenus negligenda sunt Theologiae Studioſo; ſed excolenda ſedulo.

Rhetor.  
& Orato-  
ria.

Idq; non tantum ob *progymnaſmata Oratoria eccleſiaſtica*, ſed etiam ob *artificium Rhetoricum & Oratorium Spiritus S. in Scripturâ. S. cui Rhetorica Sacra Dn. D. Glaſſi* plurimum intervitt, ut & ob *uſus facultatis dicendi* in quâcunq; parte Theologiae, ne exceptâ quidem *Scholasticâ & Polemicâ*. Ut autem heic *Præcepta Rhetorica, & praxin Orationum* conſcribendarum præſupponimus, ita ſtudioſis ſolum commendamus in Rhetoricis *Quintilianum, Ciceronem de Oratore, Voſſium & Keckermannum* propter præcepta, & *Gauſini* libros de *Eloquentiâ* propter *Exempla & Criſin. Theatrum Exemplorum Zwingeri*, aut *Bayerlingii* pleriq; nimis ſumptuoſum videtur. *Polyanthæa* tamen aliqua comparanda ſive *Langii* ſive *Magiri*. Nam ſi tantum prius colligere quis proprio ſtudio debeat, quantum ad omnis generis Orationes ſufficere queat, ne in *Academiis* quidem, nedum *Gymnaſiis* ad Ora-

104 *De Prærequisitis Philolog,*  
ad Orationes conscribendas descende-  
re poterit ; quùm tamen hæc studia  
tantum sint προπαιδευτικά ad facultates  
superiores. *Oratores Latini & Græci*  
jam indicati sunt, quibus addimus *Episto-*  
*las Græcas* à Manutio editas, ut & re-  
tionem conscribendi *Epistolas Græcas*  
unâ cum formulis & elegantissimis *Mich-*  
*Neandri*. Plura suggerent de his Rhetor-  
res nostri.

*Observa-*  
*tion. col-*  
*lectan.*

X. *Philologia* studio Theolo-  
giæ perutili non parùm inservi-  
unt præter autorum eximiorum  
apparatum *Observationes* pro-  
priae, si colligantur eadem æquo-  
tidianâ tum informatione, tum  
lectione,

Autores huc ad Propædiam fa-  
cientes præter superiores sunt *adagio-*  
*rum scriptores*, *Erasmus* & alii in nova  
editione conjuncti, *Adagia Ebraica*  
*Drusii*, *Adagia Delrio*, ut & *Adagia*  
*similitudines Biblica Zehneri*, item quæ  
varia ex antiquitate collegerunt, *Ro-*  
*fini* & *Demsteri* antiquitates, *Mytholo-*  
*gia Natalis Comitum*, *Camerarii* *horæ suc-*  
*cisive*, *Polymathia Woweri*, *Samuelis* pe-

*riti varia lectiones*, de variis ritibus Veterum, de muneribus, annulis *Kirchmanni*, & aliorum, de Divinatione *Pennicerus*, & *Molinæi Vates*. Scripta Hellenismum concernentia *Heinsii* & *Salmasii*, ut & *Croji*. Denique scripta alia *Critica Drusii*. *Sixtini Amamae*, *Scaligeri*, *Grotii*, *Heinsii*, *Philologia Sacra Mayeri*, *Scaligeri* de lingvis Europæis, *Mithridates Gesneri* cum notis *Waseri*, *Ariamontani* varia opuscula, *Abdie Prætorii* de *Phrasibus Ebræis*, *Joach. Camerarii* de *figuris in N. T. & Westhammeri* de *tropis Scripture* &c. Quæ ex lectione & informatione vivâ observantur, libro peculiari vel secundum ordinem Alphabeti, vel prout occurrunt & traduntur, inserantur, quibus facilè erit postmodum indicem Alphabeticum adjicere. Præstat enim utilia quæq; tumultuariè saltim consignare, quàm multa laborando de idoneis titulis pleraq; prætermittere.

§ (o) §

## CAPUT II.

DE PRÆREQUISITIS  
Philosophicis.

*Philosophica prærequisita.*

Philosophica prærequisita sunt, quæ futurus Theologus è Disciplinis Philosophicis prælibare opus habet, ut eò fructuosius in studio Theologico versari possit.

*De usu Philosoph. in Theolog.*

*Philosophia* enim non adversa est Theologiæ, nec eidem obest studiū Philosophiæ; sed plurimum emolumentum confert ad studium Theologiæ tum ratione *Logica*, quæ cum primis ad *discursum* & *consequentias*, nec non ad *Methodum in Synthesi* pariter & *analyti* summopere necessaria est. Unde *August. l. 2. De ordine c. 2. Dialectica*, inquit, est disciplina disciplinarum, quæ docet docere ac discere, quæ scit scire, & alios scientes facere. & lib. 2. de doctr. Christ. c. 31. *Disputationis disciplina ad omnia genera questionum, quæ in literis sanctis sunt, penetranda & dissolvenda plurimum valet.* Tum ratione disciplinarum realium, quibus non solum judicium acuitur, sed etiã, si generales spectes disciplinas, exquisitior re-

rum.



rum Theologicorum decisio promove-  
 tur, ubi constat *abstrahendi ratio, & uni-*  
*versalium Canonum usus verus, & abusus.*  
 Si *speciales* attendas, ad *explicationem &*  
*illustrationem* rerum sacrarum ut & ad  
 plurimorum in scripturis occurrētium  
 genuinam intelligentiam, itemq̄ve ad  
*secundariam* quandoq̄; *confirmationem;*  
 non parum momenti atq; utilitatis cō-  
 ferunt, ut ut ad *accendendam lucem fidei*  
*à Spiritu S.* nulla adhibeatur disciplina  
 Philosophica, prout *Keckerm.* olim l. i.  
 Syst. Theol. c. 4. p. 57. & nunc *Voëtius* cō-  
 tendit: Et in *applicatione Theorematum*  
*Philosophicorum* cum primis specialiū  
 probè videndum sit, ne committatur  
 μετ' ἑαυτῶν εἰς ἄλλο γένος, neq; judiciū  
 sibi arroget ratio humana de mysteriis  
 fidei extrā aut contrā Scripturæ literā:  
 nā ex *Philosophiā res divinas intelligere*  
*velle, est candens ferrum non forcipe, sed*  
*digitis contrectare,* ait *Chrysostomus*  
 homil. 5. in 1. ad Cor. Ideoq; oportet  
*uniuscujusq; quæstionis inventionem non*  
*ex propriis ratiocinationibus, sed ex scri-*  
*pturarum consequentia desumere,* mo-  
 nente *Epiphan.* hær. 65. Plura de usu &  
 abusu Philosoph. in Theologiā contra  
 Vede-

108 *De Prærequisitis Philolog.*  
*Vedelium, & alios diximus Tom. II. super*  
*Augustan. Confess. vel in Theologia naturali*  
*et revelatâ, c. 2.*

*Distribu-*  
*tio Philo-*  
*soph.*

Faciunt verò ad S. Theolo-  
giam pleræq; omnes Philosophi-  
cæ disciplinæ, Logica, Gnostolo-  
gia, Noologia, Metaphysica vel  
*ὀντολογία*, Pneumatica, Physica,  
Mathesis, & Philosophia Practica.

*Logica* Instrumentum est univer-  
sale: cæteræ disciplinæ principales  
sunt, eaq; vel universales, vel specia-  
les. *Universales* sunt *Gnostologia*, quæ  
de scibili quâ tali, *Noologia*, quæ de  
principiis primis omnis cognitionis  
complexis; *Metaphysica*, quæ de Conclu-  
sionibus generalibus è primis principiis  
deductis, quoad *Ens*, quâ tale, agit. *Spe-*  
*ciales* sunt, quæ circa res necessarias  
occupantur, vel contingentes: *Illius*  
generis sunt tum *Substantiæ*, tum *acci-*  
*dentia*; E *Substantiis* tum *Spirituales*,  
de quibus *Pneumatica*, tum *corporeæ*, de  
quibus *Physica*: *Accidentium*, quæ  
peculiarem constituent disciplinam,  
alia non sunt, quàm *Quantitas*. Nam  
cætera circa subjecta sua ceu affectio-  
nes vel accidentia eorundem expen-  
duntur.

duntur, sive in *Pneumaticis* sive in *Physicis*. *Quantitatis* autem considerationem expedit *Mathesis*, quæ iterum in varias disciplinas, ut in *Encyclopædiâ Mathematicâ* explicamus, dispartitur, e quibus nonnulla quomodo huc faciant, monebimus. Circa *res contingentes*, quæ sub disciplinam cadunt, versatur potissimum *Philosophia Practica*, nimirum *circa actiones humanas dirigendas ad summum bonum Civile*. Dico potissimum, quia & *Jurisprudentia*, & *Medicina* talia habent objecta; cum illa circa *actus juris ac justitiæ*, hæc circa *corporis curam* occupetur. De singulis aliquid per regulas.

## CANONES.

I. *Logicæ* cognitio uti per quam necessaria est *Studioso Theologiæ*, sic illa diligentèr excolenda venit, tum quæ præcepta, tum quæ usum ejusdem.

*Præcognitio Logicæ.*

Intervient huic studio, quod ad præcepta, *Instit. Logicæ Dn. D. Scharfsii*, ut & *Scripta Logica Dn. Gutkii, Dn. Danhaweri*, & *Du trieu*, itemq; prima  
mentis

mentis operatio Logica Dn. Laurentii  
 Wegeri, nec non Canones D. Nicolai  
 Hunnii Logici, & Regulae Stablii, quibus  
 accedat lectio Porphyrii, & Aristotelis  
 ac Interpretum. Quod ad praxin  
 Pedia D. Jac. Martini, tractatus de  
 processu disput. Scharffii, & Horneji, ut &  
 Id. boni Interpret. & boni Disputati  
 Danhaweri, quibus, si lubet, addatur  
 tractatus noster de methodo docendi &  
 disputandi noviter jam recognitus, &  
 volumine Scriptorum Philosophico-  
 rum comprehensus. Ad applicationem  
 usus in Theologiâ insuper conducet Lo-  
 gica Photiniana D. Kesleri, ut & in Topi-  
 cis Dn. Scheiblerus, nec non D. Jac.  
 Martini contra Keckerm. Disputationes  
 de subtilitatibus Logicis, Novitates item  
 & minutias in Logicis sectari, iisq; mul-  
 tum temporis terere minus consul-  
 tum fuerit. Est enim organon, ideo-  
 que unicè ex usu æstimari debet ejus  
 pretium. Doctores autem audiantur  
 & seligantur, qui studium hoc ex  
 professo tractarunt. Artifici enim in  
 suâ arte credendum. Quod etiam de  
 cæteris studiis intellectum volumus.  
 Praxis non negligatur disputatoria.

non ob speculationes & minutias Logicas, sed ut *artificium disputandi* exerceatur in ipsâ praxi, quam qui posthabendam in Gymnasiis censent, præposterè Censores habendi sunt. In eâ tamen *Logicè* versandum, ita ut proponantur argumenta *sylogisticè*, ac resolvantur secundum præcepta *Logicæ*. Quamquam enim non semper *præcisè in formâ* ( explicitâ ) disputandum sit Theologis ( quibus etiam eôntra nunquam *contra formam* disputandum, hoc est, contra præcepta formalia ) tyronibus tamen, qui *Logicam* praxin excolunt, id pernecessarium est, ut præceptorum usum eò rectiùs percipiant. In praxi *Syntheticâ* exerceant sese thesauri elaborando, ubi fortè usui esse poterit *Methodologia nostrâ*. *Analyticam* praxin etiam haud negligant, resolvendo textus *Biblicos* *Logicè*. Lectu nò inutilis est tractatus *Corn. Martini de analysi materiae & formæ. Ramæis*, ut & *mixtis* ne delectentur, si *Peripateticæ* *Logicæ* Informatione gaudere possint, quod consilium quàm salubre sit, ipsi tùm agnoscent, cum discernere poterunt,

quid

quid dissentientia lupinis. Conferunt  
 queunt disputationes *Cornelii & Jacobi  
 Martini adversus Rameos &c.* Videntur  
 autem sedulo Calvinianorum, & Pontifi-  
 ciorum *Logica Systemata*, quæ ob *Pseudo-  
 Canones*, & *Exempla Pseudo-Theolo-  
 gica* admista vix periculo vacant, quod  
 pariter de *Organo & Sophisticis Elenchis  
 Prosperi, Disydæi* vel *Fausti Socini* sta-  
 tuendum.

*Gnostolo-  
 gia.*

II. Gnostologia non contem-  
 nendos habet usus in abstra-  
 ctione rerum, etiam Theologi-  
 carum cognitione, & accuratiori  
 repræsentatione.

Informat quippe de accuratâ cog-  
 noscendi ratione, quomodo *abstrahenda  
 sint universalia à singularibus, essen-  
 tialia ab extræessentialibus*, & quomodo  
*idealiter* & in conceptu proprio quavis  
 repræsentanda, nihilquæ est in totâ Gno-  
 stologiâ, quod non *in omni scibili* usum  
 habeat & attendendum sit: quandoquidem  
 ea agat de *scibili quâ tali*. Quâ de re  
 in Disputat. Gnostologicis diximus. Ad  
 eam usui esse poterunt præter *Gnosto-  
 logiam*

logiam nostram, in volumine Scripto-  
rum Philosophicorum recognitam, ut  
& *Valentini Probi* vel *Frommii*, *Disputa-*  
*tiones de scibili*, & de cognitione in ab-  
stracto: pertinentq; huc non pauca,  
quæ in *Habitu Intelligentiæ à Gutkio*, in  
*Technologia & Hexologia ab Alstedio*, in  
*Technometriâ ab Amesio* (qui tamen ju-  
stam castigationem desiderat) in *Do-*  
*ctrinâ de animâ à plerisque* tradun-  
tur.

III. Noologia cum Principia *Noolo-*  
omnis cognitionis prima expen- *gia.*  
dat, cognoscenda venit, ut con-  
tra negantem Principia etiam di-  
sputare possimus.

Si scilicet neget *principia secunda*,  
qui convincendus erit è *primis prin-*  
*cipiis*. Disciplinam hanc primus pro-  
posuit *Dn. Gutkio* sub titulô *Habitus*  
*Intelligentiæ*, vel primorum principio-  
rum, quem hic legere juvat; sed quia  
plerisque obscurus videtur, *Noologia*  
*nostra*, quæ nunc primùm editur, vo-  
lumni *Scriptorum Philosophicorum*  
inserta, conferri poterit, quâ, etsi ab-  
eamus in plusculis ab eo in diver-

sum, multum lucis huic Disciplinæ speramus, accedet. Alios enim hanc operam præstiterint, non vidimus.

Metaphy-  
fica.

IV. Metaphysica quia multis modis utilis est Studioso Theologiae, non perfunctoriè pertineturanda erit.

Ejus uti-  
litas.

Sunt, qui cum *Amesio* eam profusè explodunt, aut pro quodam Dictionario tantùm habent; sed verum est de illis, quòd vulgò dicitur; *Abest enim habet osorem nisi ignorantem.* Utilitas ejus insignis paucis verbis explicari non potest, tum quà *Questionum* *metaphysicarum* *Intelligentiam* *ac* *decisionem*, in quibus scilicet adhibentur termini Philosophici, tum quà *Præcepta generalia* *Metaphysica*, usu suo diffundentia sese per omnes materias, tum quòd *Canones* *Metaphysicos*, quorum usus peritèr & *abusus* cognoscendus est à Theologiam inprimis *Polemicam*, prout in *Metaphysicis* ostendimus in *Profatione* *divinæ* *Metaphysicæ*, & per *universam* *primam* *Philosophiam* Exemplo numero plurimis usuq; illustratis monstrat.



monstravimus. Hic opponimus Ame-  
 sio Calviniano ex eadem Scholâ Philo-  
 sopho-Theologum, famâ non minorem,  
 eruditione multo superiorem, Gisber-  
 tum Voëtium lib. 1. de Exercit. & Bi-  
 blioth. Stud. Theol. c. 4. p. 30. Ad accu-  
 ratos distinctos & evidentes conceptus  
 tam anascevaſtice quàm cataſcevaſtice  
 in Theologiâ dogmaticâ & Practicâ, ad-  
 hæc in explicatione Scripturæ forman-  
 dos, ad proprias Meditationes amplian-  
 das & alienas dijudicandas, non magis  
 Metaphyſicâ & Logicâ carere poteſt  
 Theologus, quàm faber malleo, aut miles  
 armis. Ad illas enim ſupremas atque  
 univerſaliſſimas notions ac formalita-  
 tes tandem velimus nolimus devenien-  
 dum eſt; illæ per omnes Scientias infe-  
 riores, & per totam Theologiam ſe diſ-  
 fundunt; illas docti pariter & indocti  
 uſurpant & maxime ii, qui eam conte-  
 mnunt. Si enim ex ipſorum Theologiâ,  
 Ethicâ, Phyſicâ, Logicâ &c. formalita-  
 tes illas decerpam, & quærâ ubi in actu  
 ſignato ſeu technologicè tractentur, tan-  
 quàm in propriâ ſede; nec Theologiam  
 ſuam, nec Dialecticam, nec Grammati-  
 cam, nec Phyſicam, nec ullam Diſcipli-  
 nam

nam à se aut suis editam commonstrare poterunt. Et tamen illa cognita & multiplicata necessaria sunt, & quidem ab heresi aut corruptione Theologiae, minus quàm Grammatica, Logica, Ethica, Physica, Rhetorica &c. quæ ipsi res Metaphysica non videntur attingere. Quid dicerent si viderent in ipsa Scriptura, non tantùm Metaphysicam contentam atque Logicam, sed & plerosque ejus terminos in forma & in actu cognato, aut iis æquipollentes Discipulis nostris tum datâ occasione, tum peculiari operâ à nobis indicari? Sed nolo Apologiam hujus nobilissime Scientiæ ulterius proveli. Ego probè mihi conscius sum & nôrunt omnes Studiosi quotquot sanioribus consiliis nostris obtemperârunt, inter omnes Disciplinas hanc studiorum velut Hesperum fuisse, atque Helicen.

Admini-  
cula.

In hocce studio qui proficere gestit, primùm Systema quoddam Epitomicum pervolvat v. g. Exemplarem Metaphysicam Scharffii: vel compendium Metaphysicæ Nostræ. Deinde conjungat Metaphysicam Christoph. Scheibler & Jacobi Martini Partitiones & Exercitationes

*citationes Metaphysicas, & Gutkii Disputa-*  
*rationes Epopticas ac Contemplationes*  
*Metaphysicas. Adhæc ob applicatio-*  
*nem ad Theologiam, præter opus Meta-*  
*physicum Scheibleri adhiberi poterit*  
*Theoria Transcendentalis Scharffii, Me-*  
*taphysica Photiniana Kesleri, ut & Me-*  
*taphysica nostra divina, quæ nunc quâ*  
*partem generalem recognita, & pluri-*  
*mum locupletata, ac partis specialis*  
*accessione aucta prodit, usumq; Meta-*  
*phys. in Theologia per omnia capita*  
*ostendit, abusum Hæreticorum detegit*  
*ac refellit. Itemque in Doctrinâ de*  
*Communicatione proprii Schröderi &*  
*Jac. Martini de hoc themate, in Do-*  
*ctrinâ de supposito & Personâ, Disputa-*  
*tiones Jac. Martini contra Goslavium,*  
*ut & ejusdem lib. 2. de tribus Elohim.*  
*Tandem aggrediatur lectionem Aristo-*  
*telis in Metaphys. & Commentatorum,*  
*Fonsæe inprimis, ut & Swarezium ac*  
*Hurtad: de Mendozâ, nec exercitia Di-*  
*sputatoria Metaphysica negliget.*  
*Timpleri, Campanella, Alstedii, Macco-*  
*pii, Franconis, Burgersdicii, & id genus*  
*aliorum Metaphysica Scripta non tam*  
*lectione digna sunt, quàm Examina-*  
*tionem*

tione & castigatione. Quos postremo duos in Metaphysicâ nostrâ recognitâ sub Examen revocavimus, & Metaphysicam ab *Erroribus* <sup>Catholicis</sup> *nisticis*, quibus infecta fuit, liberavimus. Ne quis ob Methodi diversitatem turbetur, poterit ante omnia *Tabellas nostras Metaphysicas*, quæ *Scriptorum Philosophicorum* volumina sunt insertæ, perlustrare, sibi quæ hinc ideam totius primæ Philosophiæ animo imprimere, ut certi quid habeat, quò acquiescat: Dehinc eò utilius aliorum lectioni sese accingat: ac si quæ dubia in nostrâ *Dispositione* vel *Methodo primæ Philosophiæ* occurrerint, haut difficulter eadem è jugi lectione *divinæ Metaphys.* expedientur.

*Pneumatica.*

V. Pneumatices studium, ut cognatum maximè est Studio Sacro, ita etiam utilissimum est Studio Theologiæ.

Cognitio enim *naturalis Spirituum* subordinatur *Cognitioni* eorundem *revelata.* Διαύπωση & delineationem Pneumaticæ exhibemus in *Tabellis Philosophicis* operi prædicto insertis.

is: *Compendium in Pneumaticis Dn. Scharffius* adornavit, cum quò *Eleri & Zeifoldi* Disput. Pneumaticæ conjungi poterunt, & cum primis *Pneumatologia Dn. D. Klotzii*, quibus addatur etiam ea, quam *L. Kormannus* edidit. Facient huc quoque quæ in *Metaphys. de Deo, Angelis, & animâ Humanâ Scheiblerus, Jacob. Martini, Swarezius* & alii tractant, ut & qui speciatim de hisce egerunt, cum ea propriè ad Pneumaticen spectent. Quò referendi *Plato & Platonici, Plotinus, Jamblichus*; ut & *Ficinus de Theolog. Platonis & Comment. in Platonem &c.*

VI. In *Physicis Præceptis generalibus* tempus non consumendum, cum specialis *Physica* longè majore utilitate teri possit.

In parte *Generali* è recentioribus legere juvat *Dn. Scharffii Physicam* recognitam, ut & *Dn. Sperlingium*, nec non è *Veteribus Ocellum Lucanum* cum *Commentariis Nogarole, Lucretium* cum *Commentariis Lambini. Scholasticorum* generales *Dissertationes* parcius tractentur;

ctentur; cum magis sint *Metaphysica*  
 multæ etiam inutiles, pleræq; ad sol-  
 dam *Physiologias* notitiam parum ser-  
 ciant. Non absque fructu autem  
 gentur *Conimbricenses* & *Zabarella*  
 quibus, si vacat, addantur *Ruvius*, *P*  
*erius* & *Toletus*.

In *speciali* *Physicâ* præter *Sperlin-*  
*gium*, *Scharffium*, *Magirum*, vel etiam  
*Wendelinum* ac *Bassonem* legantur, quæ  
 specialia non pauca enodant *Conim-*  
*bricenses*, *Keckermannus*, *Scaliger*, *Bar-*  
*tolinus*, *Sennertus*, quibus è Veteribus  
 accedant *Aristoteles* & *Theophrastus*.  
 Jungendus autem illi in *Historiâ* ani-  
 malium *J. C. Scaliger*, huic ejusdem  
 commentarius, itemq; *Plinius* cum no-  
 tis *Dalecampii*; *Seneca* in quæstionibus  
 naturalibus cum *Commentariis* *Fr-*  
*mondi*, *Albertus Magnus*, &c. *Specialio-*  
 ra nonnulla qui desiderat paulò accu-  
 ratius, præter dictos Authores in *Me-*  
*teorologiâ* *Fromondum*, de *Cometis* *Ty-*  
*chonem Brabe*, *Keplerum*, *Dn. Crügerum*  
 & *Dn. Linemannum* nostrum, De mi-  
 neralibus *Cesium*, de *Metallis* *Georg-*  
*Agricolam* & *Libavium* (adde *Marb-*  
*Scripta*) de *Lapidibus* *Anselmum Boot-*  
 de

de Magnete *Philosophiam Magneticam*  
*Gilberti*, ut & *Nicolaum Cabeum*, *Atha-*  
*nasium Kircherum* de Magnete: de plan-  
 tis præter *Theophrastum* & *Dioscoridem*,  
*Baubinum*, de Animalibus præter *Ge-*  
*snerum*, *Aldrovandum* & *Franzium*, *Bu-*  
*scamantinum* de insectis, de origine &  
 Conformatione partium in utero *Pla-*  
*terum*, *Sennerti* & *Sperlingii* *Disput:*  
*cur Freitagio* de anima, de partibus cor-  
 poris humani *Anatomiam Bartholini*,  
*Baubini*, ut & *Collegium Anatomicum*  
*Dn. D. Eichstadii*, De Magiâ naturali *Ioh.*  
*Baptistam a Porta*, ut & *secreta Jac. We-*  
*ckeri* & *Disquisitiones Magicas Delriosi*  
 de Chymicis & dissensu eorum à Peri-  
 patheticis *Sennertum*, de *Anima origi-*  
 ne eundem ac *Disputationes ipsius ad-*  
 versus *Freitagium*, itemque *disputat.*  
*Dn. Sperlingii* contra *Zeisoldum*, ut &  
*tract. ejusdem* de semine, de *Monstris*  
*Weinrichium* consulat. Quibus etiam  
 speciales *Tractatus Jac. Martini* de lo-  
 co, *Jani Cornarii* de re vinitoriâ, & ex  
 Anatomicis *D. Olhassii* de motu Cere-  
 bri, *D. Jac. Backii* de corde, *Plempii*  
*Ophthalmographia*, *D. Löselii* nostri  
*Scrutinium renum*, *Cass. Hofman.* de

uſu lienis, ut & ejuſmodi ſimiles ac-  
cedere poterunt. Quibus lubet &  
vacat, adjungere, ob multa ſpecialia  
queunt *Cornelium Agrippam* de occultâ  
Philoſophia, *Bodini* Theatrum Na-  
turæ, *Jonſtoni* Thaumatoſtrophiam,  
*Casp. Enſ* Thaumaturgum Mathema-  
ticum, *Casp. Bartholini* Problemata,  
Phyſico-Medica &c. Sed & *Chiroman-*  
*tia* luſtrari poterit *Job. de Indagine*,  
*Goclenii*, aut *Stephani Cimdarſi*, & Phy-  
ſiognomia *Job. Bapt. à Porta*, & Oni-  
rocritica *Artemidori*, & *Juliani Maſi*,  
ſic tamen, ut animi cauſâ hoc fiat, nec  
iis adeò multum tribuamus. Ad Theo-  
logiam applicant res Phyſicas *Valeſius*  
de S. Philoſophiâ, *Conradus Aſlacus*  
in Phyſicâ Moſaicâ, *Daneus* in Phyſicâ  
Theologicâ. Phyſicam Anti-Photi-  
nianam adornavit *Dn. Keſlerus*, *B.*  
*Meiſnerus* contr. Calvin: in Phyſicis  
quæſt. part. I. Philoſoph. Sobr. lega-  
tue.

Mathe-  
ſeos.

VII. Matheſis plures ſub ſe  
complectitur Diſciplinâs, quarum  
tamen pleraſq; Studioſus Theo-  
logiæ cognoscere opus habet.

Genere



Generalem Mathesin, quâ abstractâ  
 hit à Quantitate continuâ & discretâ  
 adornavit *Jac. Golius*; sed eam prodiis-  
 se non constat; interim adhibeatur  
 loco Matheseos generalis *Francisci Vietæ*  
*Isagoge*, aliq; Tractatus & *Adrianus*  
*Romanus* in Cyclometricis. Disciplina  
 narû Mathematicarum omnium *Com-*  
*pendia* quondam adornata nunc sub ti-  
 tulo Encyclopædiæ Mathematicæ unâ  
 cum *Tabellis* super omnes Disciplinas  
 Mathematicas, Scriptorum Philosophi-  
 corum volumine sistentur, quæ nec  
 ingrata nec inutilia, quod speramus,  
 Studiosis Matheseos futura sunt: Equi-  
 bus prima est *Arithmetica*, cujus cog-  
 nitione ob plurimas Computaciones  
 in Sacris Studiosus Theologiæ nullo  
 modo carere potest. Compendium  
 ad Leges Methodi conformavit *Alste-*  
*dus* post *Petrum Ramum*: Ad Præxi-  
 autem magis accommodati sunt libel-  
 li vulgares Arithmetici, ut *Gemma Fri-*  
*si*, *Petri Crügeri* &c. *Arithmetica de-*  
*cimalis*, *Rhabdologica*, *sexagenaria Lo-*  
*garithmica*, *Cosmica* vel *Algebraica* noti-  
 tia cum ad alias Disciplinas Mathe-  
 maticas Geometriam & Astronomiam  
 utilis

Arithme-  
 tica.

utilis est & necessaria, tum ad ingenii acumen & delectationem non parum facit, quod proprio Exemplo compertum habeo. *Decimalem* perspicue tradit *Dn. Job. Strauß/Rhabdologiacan* *Neperus*, & *Benjamin Ursinus*, *Sexagenariam Crügerus*, *Logarithmicam Neperus* & *Benjamin Ursinus*, ut & *Gellibrandus* in *Trigonometriâ Britannicâ*, *Cosicam Clavius* & *Stifelius*. Ad accuratiorum Demonstrationem *Arithmeticam* conducit *Euclides* cum *Commentariis Rhodii* vel *Clavii* aut *Commandini*.

Geometria.

Altera est *Geometria*, quæ ob Descriptiones varias in *Scripturis*, ut & ob *Disciplinas mixtas* cognitu per necessarias *Astronomiam*, *Geographiam* &c. haud negligenda est. Ejus compendia exhibent *Ramus* cum *commentariis Schnellii*, *Alstedius* in *admirandis Mathematicis* & in *Encyclopæd.* ut & *Crügerus* nec non *Pitiscus*, quantum ad *Trigonometriam*. Succinctum qui cupit in *Encyclopædiâ* nostrâ *Mathematicâ* habebit. *Demonstrationes* ex *Euclide* perenda sunt. *Sventerus* & *Cantzler* ad *Geodesiam* facit, itemq; *Metius*, *Stevinus*.

3. In *Cosmographia* operam non *Cosmo-*  
 inutilem navat *Alstedius*, ad quam con-*graphia.*  
 ducunt *Scriptores de usu globi utriusq;*,  
*Rubertus Hues*, *Adrianus Metius*: Jun-  
 gantur & *Plinius Sec.*: cum *Comment.*  
*Milichii*: item *Archontologia Cosmica*  
*Gotofredi*.

4. In *Uranoscopiâ*, *Astronomiâ* eoqve *Uranoscô-*  
 spectantibus (quæ non exiguum usum *piâ*,  
 habent in sacris) placet in *Sphæricis Astrono-*  
*Crügerus*, *Job. de Sacro Busco*, quibus *miâ*  
 accedant *Adriani Metii Scripta Astro-*  
*nomica*, *Theoria Planetarum Purba-*  
*chii*, *Astronomia Longomontani Da-*  
*nica*, *Tyrbonis Brabei*, *Keppleri*, *Mæstli-*  
*ni*, *Mülleri*, *Lansbergii*, imò & *Coper-*  
*nici*, ut & *Galilei de Galileis*; quibus è mo-  
 dernis *Astronomis* clarissimis addan-  
 tur *Dn. D. Eichstadii nostri scripta A-*  
*stronomica*, ut & *Philolaici Astrono-*  
*mia Ismaël. Bulialdi*, *Eustachii observa-*  
*tiones motuum cælestium*: *Petri Gassen-*  
*di Observationes Astronomice*, *Job. He-*  
*velii Dantisc. Selenographia* &c. *Pro-*  
 gressus autè fiat ab *Institutionib. Astro-*  
*nom.*: *Crügeri ad Theorias Planetarum*,  
*Purbachii cum Comment.*: *Reinholdi* &  
*Theor. Magini ac Mæstlini* & hinc ad  
 Pte.

In Astro-  
logiâ.

*Protom. & Copernicum*. In *Astrologia*  
*Job. de Indagine, Ranzovius & Herlicus*  
studârunt; quoad *Ephemerides Origanus*  
ut & *Dn. D. Eichstadius* utilem nar-  
runt operam, quibus jungatur *Compe-  
tus Ecclesiasticus Clavii*. In *Sciotericis &  
Gnomonicis Adrianus Kircherus, Metius  
& Pitiscus* sufficiunt. *Compendium*  
succinctum universæ *Uranoscopis* in  
*Encycl. nostræ Mathes.* exhibetur.

Geogra-  
phia.

5. In *Geographicis* præter *Com-  
pendia Alstedii, Keckermanni* vel *Cluverii*  
commendatur *Cosmographia Münsterii*  
*Tabula Geographicæ Bertii*, vel etiam  
*Atlas uterq; Mercatoris*, itemq; *Magnus  
& Dictionarium Geographicum Ortelii*. Et è *Veteribus Protomæus &  
Strabo* ex editione *Casauboni*, *Solinus*  
cum *Exercitationibus Salmasii*, *Pompe-  
nius Mela* cum *Notis Ferdinandi Pin-  
tiani &c.* Ob *Historiam Biblicam*  
legatur *Descriptio terræ sanctæ Hiero-  
chomii, Job. Heideni* *Descriptio Hiero-  
solymæ*; *Itinerarium Buntingii*; com-  
mendatu etiam digna est *Ariemontani*  
*Geographia Sacra*, sub titulo *Caleb* edi-  
ta. Jungantur hisce *Mappæ Sacræ*  
*Nicol. Vischeri* *Amstelod. editæ*; *Castræ*  
*metat.*

metatio *Israëliitarum* in *annalibus Tor-*  
*nielli*, *Peregrinatio Pauli à Petro Appia-*  
*no & Marco Jordano Jesuita &c.*

6. In *Musicis* usui esse potest *Com-* *Musica.*  
*pendium Alstedii*, vel *Lippii*, quibus  
 addi poterit *Keplerus*, *Metsennus de*  
*sonis & Seldenus de Musica veterum*,  
*Hieronym. Magius de tintinnabulis*: Sed  
 cum primis commendatur *Zarlino's*  
*ejusque Compendium*, à *Johanne Maria*  
*Artusio* confectum. E Veteribus præ-  
 cipue sunt *Euclides*, *Boëthius & Beda*:  
 ut & circa seculum X *Gvido Aretinus*.  
 Conferat *Joh. Alberti Banni Disserta-*  
*tionem Epistolicam de Musica naturæ &*  
*studio*, qui hæc penetrare desiderarit.

7. In *Optices* studio (quod ad loca *Optica.*  
 quædam de *Speëtris &c.* facit,) seliga-  
 tur *Ambrosii Rhodii*, vel etiam *Clavii*  
*Optica*, & qui penitus nobilissimum  
 hoc studium persequi volunt, adjun-  
 gant *Opticam Agvillonii*, *Kepleri Para-*  
*lipomena Optica & Dioptricen*. E  
 Veteribus *Ajhazen*, *Vitellion: & Eucli-*  
*dem*. Denique in *Architectonica* *Archite-*  
 (quæ ob structuram *arca Noæ & templi etonica.*  
*Salomonis &c.* utilis est cognitu) lega-  
 tur *Introductio M. Straussii* in ean-  
 dem;

dem; vel compendium *Alstedii*, ut &  
*Stevini*, *Freitagii Architectonica*, &  
 antiquis *Vitruvius* & *Mechanica Aristote-  
 telis*; Ac deniq; ad ipsas structuras la-  
 cras *Antiquitates Ariamontani*, *Vil-  
 pandus in Ezechielem*, *Hafenrefferi tem-  
 plum Ezechielis*, *Jacobi Jude Leon: Ebra-  
 templi delineatio* &c. Cùm verò Ma-  
 theos studium totum omnino pos-  
 scat hominem, nec cujuslibet sit, suffi-  
 cere possunt ad generalem quandam  
 notitiam *adminimda Mathematica Al-  
 stedii*, *Encyclopædia nostra Mathematica*,  
 aut si quæ similes edantur Syno-  
 pses.

*Philoso-  
 phia Præ-  
 ctica.*

VIII. Philosophiæ Practicæ cog-  
 natio non utilis modo, sed & ne-  
 cessaria est Studioso Theologiæ.

Idq; præcipuè ad *Explicationem  
 Virtutum & vitiorum juxta Decalogum*,  
 quæ accuratius utiqve tractari pore-  
 runt, si *Ethices Præcepta* cognita præ-  
 be fuerint. Commendantur autem  
 in Philosophia Practicâ generali quan-  
 tum ad Synopses seu Præcepta, *Ethicæ  
 Horneji*, *Christiani Matthiæ*, *Jac. Mar-  
 tini*, *Galii* vel *Keckermanni*, ut & *Com-  
 pendium*

*Ethic.*

pendium Bartholini. Quoad pleniorē  
 pertractationem Conimbricenses, Picole-  
 mineus, Casus, Disputationes Practicæ  
 Keckermanni, & è priscis Aristotelis Ethica,  
 quæ resolvit Magirus: Cicero in  
 Tuscul. & Academ. Quæstionibus; nec  
 non Plutarchi moralia, Seneca item,  
 Epictetus, Ariani & Epicteti Enchiridion  
 cum commentario Simplicii ex editio-  
 ne Salmasii, Maximi Tyrii Dissertatio-  
 nes cum notis Heinsii: quorsum & fa-  
 cient Lipsi manu ductio ad Philosophiam  
 Stoicam. In Politicis Præceptis ope-  
 ram utilem navârunt Schönborn. Alt-  
 husius, Jac. Martini, quibus accedant  
 Keckermanni Disputationes Politicæ, Ar-  
 nisei Scripta Politicæ, Besoldi, Lieben-  
 thalii, Königii, Sphæra Civitatis Casti,  
 Reinkingii de regimine seculari & Ec-  
 clesiastico, ut & Politicæ Adami Con-  
 tzen, Limnei de jure publico, quibus ad-  
 di poterunt Richteri Axiomata Politi-  
 cæ, nec non Anti-Machiavellus Gentilet-  
 ti. In specie de Legibus egit Mel-  
 snerus, de Jure Pacis & Belli Hugo Gro-  
 tius, De Academiis Joh. Giffenius, Poli-  
 ticam Christianam exhibuit Danaus.  
 Practicæ controversias adversus Pon-  
 tificis

*tificios* exequitur Meisnerus part. Phil. Sobr. Nec negligentur Veterum cum primis *Aristoteles* cum paraphrasi *Heinsii*, *Ciceronis* & *Platonis libri de Oeconom: Legibus*. In *Oeconomicis* præter *Aristotelem* *Synopses Alstedii*, *Keckermanni* & *Adenarii* adhiberi possunt, ut & *Casi*, itemque *Erasmus de Matrimonio*.

*Jurisprudentiæ & Medicinæ:*

IX. *Jurisprudentia* & *Medicina* non desideratur quidem in *Theologo*, interim quædam tantum de illis cognoscere non inutile fuerit.

De *Juridicis* quidem tum ob nonnulla è *Juris* petita *meditullio*, in *Theologia* v. g. de *Satisfactione*, *jure pœniendi*, de *servis*, *usuris*, &c. tum ob *decisionem Consistorialium Casuum* &c. Sed præter *Institutiones Juris* facile nostro studio sufficiet *Jurisprudentia Albi* vel *Tholosani* cum *Regulis Juris Brochorstii* aut alterius, si cum primis accedant *Lexica Schardii*, aut *Calvini* cum ipso *Corpore Juris Civilis* ex editione *Godofredi*. Utiles autem cum primis sunt *Differentia inter Jus civile & Canon*.



honicum Rittershusii, item *Juris Civilis fontes & Collatio Legum Mosaicarum* cum Romanis ex editione Heinr. Stephani; *Constant. L. Emplieur Collatio Legum Judaicarum* in Scholiis ad Bava Kama: *Conradi Heersbachii Jurisprudencia Christiana*: item *Sandei Theologia Juridica*, ut & *Sam. Maresii Specimen Jcti orthodoxi. Arnoldi Corvini Jus Canonicum per Aphorismos explicatum &c.*

In Studio Medicinæ aliqua itidem requiritur Notitia, non solum ob rationem habendam sanitatis nostræ, sed etiam ob quædam in studio Physico Medica, ob morborum variorum, *Hydropis, Lunatissimi, Lepre &c.* mentionem, ob Casuum quorundam decisionem, ob Controversiarum nonnullarum, de perfosso latere Christi, de sudore sanguineo &c. dijudicationem. Intervient autem *Institut. Medicæ Sennerti, aut Fuchsii, nec non liber Quercetani de Dieta cum Aphorismis Hippocratis, Marsilius Ficinus de Studioforum sanitate: Gratalorum de sanitate literatorum tuendâ præ aliis commendat Voëtius. In Anatomicis Institutiones Bartholini, Anatomia Lau-*

Medicæ

rentii Disputationes Anatomicæ D. Eick-  
 stadii nostri: in Botanicis Matthioli  
 in Dioscoridem, Bauhinus, ut & Le-  
 mnius de Plantis, itemq; Sandæ Theo-  
 logia Medica. E Veteribus Hippo-  
 crates, Galenus. In quibus tamen non  
 desideramus exquisitam Notitiam  
 quia non *universalis scientiæ*; sed Theo-  
 logiæ Studiosum heic informamus.

Generales  
 libri.

X. Sunt & generales quidam  
 Libri, qui ad certam Disciplina-  
 nam non spectant, usui tamen  
 esse queunt.

Tales sunt 1. De terminis Philoso-  
 phicis Armandus de Bello Visu, Lexicon  
 Philosophicum Goclenii, Fontanus de ter-  
 minis Philosophicis. 2. De Distinctioni-  
 bus variis: ut Distinctiones Castan-  
 3. De Regulis vel Axiomatibus, utpotest  
 Axiomata Bedæ, Waseri, Sagittarii.  
 De Conciliationibus, ut Conciliator Philo-  
 sophicus Goclenii; Gabriel: Darni  
 conciliatio præcipuarum Controver-  
 siarum Platonis & Aristotelis. 5. Al-  
 scellanea: Cardanus & Scaliger de sub-  
 litate. Nierenbergius in Philosophia  
 curiosâ. Agrippa de varietate Scientia-  
 rum

rum, *Lelius Bisciatius* in horis succisivis,  
 ut & *Camerarius*, *Tholosani* Syntaxis  
 admirabilis, *Verulamii* Organon no-  
 vum & de incremento Scientiarum.  
 Nec operam perdet, qui sibi proprio  
 studio colliget *terminorum explicatio-  
 nes*, *Distinctiones*, *regulas* & *varia, præ-  
 fertim rariora*, circa materias quasvis  
 occurrentia, quæ si quis consignare no-  
 lit omnia, saltem libros & Authores, in  
 quibus legi queant, annotet, & in au-  
 thoribus, quos denuò nancisci despe-  
 rat aut dubitat observata consignare  
 non prætermittat. Sed hæc, & hujus  
 generis alia ad Scholas Philoso-  
 phorum remitti-  
 mus.



## CAPUT III.

De

HISTORICIS PRÆ-  
REQUISITIS.*Prærequi-  
sita Histo-  
rica.*

**H**istorica Prærequisita sunt, quæ ex Historia cum primis exotica & ex parte sacra, nec non ex aliis ad Historiam spectantibus, à Studio prius degustanda sunt, quàm ad intimiora Theologiae admittatur.

*Historice  
ab Histo-  
riâ di-  
stinguit.  
Historia  
divisio.*

Distingvendum hîc primò inter *Historicen* & *Historiam*. Illa enim præcepta tradit ad conficiendam Historiam; hæc autem multifaria est, & vultu Unde dividitur in *Philosophicam*, quæ universalium est (qualis est *Historia Plantarum Theophrasti*, *Historia animalium Aristotelis*, *Historia mundi Plinii*) *Exegeticam* seu *Narrativam*, & *mixtam*, quarum illa singularium est, hæc de utrisque tractat. Res autem singulares vel à Di-

sunt & *naturâ*, quas tractat *Historia naturalis* circa singularia in Naturâ occupata; vel sunt à *voluntate humanâ*, quales sunt nimirum *actiones* ut *res gestæ*, tum *opera*, ut *structuræ*, *automata*, quorum pertinet *Historia civilis*, ad quam etiam *Ecclesiastica* & *Scholastica* reducitur. Tales *Historiæ* sunt de rebus gestis unius personæ aut multarum, unius Civitatis aut populi; vel plarium, ut & de *Philosophorum* opinionibus, *sapientum* dictis, *stratagematis*, *institutis*, *moribus*, &c. vel denique ab utraq; proveniunt causâ, ut *Regiones*, *urbes*, *Portus*, quorum pertinet *τοπικαὶ Δία*.

Solet quoque dividi *Historia* in *divinam*, *naturalem* & *humanam*. *Divina* proprie dicta est, quæ inspirata divinitus S. S. Scripturibus V. & N. T. Quæ verò à gentilibus pro *divinâ* venditur, non nisi æquivocè ita dicitur. *Naturalis*, cujus finis est *Scientia*, magis videtur ad *Philosophiam* pertinere, cum universaliam sit, quàm ad *Historiam*. *Humana* verò in veram & *μυθικὴν* & quasi veram distribuitur: *Ista* eorum est, quæ contigerunt; *illa* eorum, quæ mera commenta sunt: *hec*

eorum, quæ contingere potuerunt, quæ-  
 lis eſt in *Comædiis*. *Vera* dicitur vel  
*Personarum*, vel *locorum* & *Temporum*  
 vel *Actionum*. *Personarum* vel *per-*  
*petua eſt*, vel *ſejancta*: & illa vel *univer-*  
*ſalis*, ſive *abſolutè*, ſive *ſecundum quid*,  
 vel *particularis*, quæ *Gentis* aut *civita-*  
*tis* cujuſdã *res geſtas* proponit, aut *for-*  
*mã*, *leges* ac *ritus* &c. vel *ſingularis*, quæ  
*vitas* *Hominum* perſequitur. *Sejancta*  
*facta*, aut dicta *memorabilia* excerpit,  
 qualis eſt *Valerii Maximi*, *item* *Plutar-*  
*chi Apophthegmata*. Hic in  $\pi\rho\rho\alpha\iota\delta\epsilon\lambda\alpha$   
 curæ nobis erit potiffimum *Historiæ*  
*univerſalis Exotica*, quæquam etiam  
 præguſtus aliquis *Historiæ*. S. huc ſpe-  
 cter, ſine quâ conſtare non poteſt *Hi-*  
*ſtoria* verè *univerſalis*. *Accuratior*  
 verò *Historiæ* S. *indagatio* ipſam *con-*  
*ſtitutionem* *ſtudii Sacri* ingreditur.

## CANONES.

I. *Historiæ* ſtudium ordine  
*Doctrinæ* partim prius ſit *Philo-*  
*ſophicò*, partim poſterius.

*Ordo ſtu-*  
*dii* *Histor.*  
*reſpectu*  
*alior. ſtu-*  
*dior.*

Non-

Nonnulli simpliciter volunt *posterius esse*, quia Historia Philosophiam Exemplis illustret. Præcepta autem priora esse debeant Exemplis. Alii Historiam inter *prima ætatis studia* reponi debere censent, quia illa multum *memoria*, parum *judicio* pollet. Nos quod ad eos Historicos, qui ad *Linguas addiscendas* simul adhibentur commodè, fatemur *primæ ætatis* negligendos non esse, quales sunt, ubi in *Terentio & Cicerone* mediocriter quis versatus fuerit in Latinâ Linguâ *Cornelius Nepos, Cesar, Vellejus, Curtius, Florus, Justinus*, quos optime comites addi, cum non aliunde *suavius faciliusque illa literaturæ Notitia comparctur*, cum *Vossio* in lib. de Arte Historicâ c. 6. censemus. Ac similiter in *Gracâ Linguâ* post mediocrem ejus Notitiam *Herodotus, Xenophon* & alii ad eorum dictionem proximè accedentes volventur. Quod verò ad *alios*, & cum primis, qui *Historiam Naturalem* describunt, ut & qui accuratiùs in *Circumstantias & eventuum causas* inquirant, quorum etiam *difficultates* investigandæ sunt, eorum *Scrutinium* non immeritò postponitur

tur cognitioni aliquali Philosophiæ. Quædam denique ita comparata sunt, ut lectio eorundem demùm sequi debeat *Locorum Communium Theologicorum evolutionem*, de quibus postmodum in requisitis Studii Theologici.

Præcognitio Historiæ universalis.

II. Historiæ universalis Præcognitio utiliter præmittitur speciali Historiarum Lectioni.

Non respicimus jam *Historicos* quâ leguntur ob *Lingvam*, sed quâ ob *Historiarum observationem* primariò evolvuntur; atque ita universalis Historia non immeritò præmittitur, ubi eligi poterit *Sleidanus* de quatuor Monarchiis, cui notas addidit *Meibomius*, vel *Besoldus*, aut etiam *Philippus Glaserus*: cui accedat postea *Syntagma Historiarum mundi* Dn. D. *Joh. Micralii*, ut & ejusdem *Syntagma Ecclesiasticum*; quod Studiosis Theologiæ meritò debet esse ob rerum succinctam varietatem commendatissimum, itemq; eximia *Epitome Historiarum totius mundi* D. *Joh. Cluveri*: nec incommoda est *Isagoge Historica* tum *Prophetica*, tum *exotica* *Conradi Graseri*. Conjungendum est

*Chro-*



*Chronicon Carionis, Phil. Melancthon, cum scholiis Historicis Victorini Strigeli, item Isagoge Historica per Millenarios digesta a Matth. Dressero &c.*

III. Ad Historiam universalem reducuntur Historici secundum quid universales.

*Historici secundum quid universales.*

Quales sunt *Herodotus, Halicarnasseus, Berofus Chaldaeus, Polybius, Trogus, Pompejus, Diodorus Sículus*, ante natum Christum: & post natum Christum *Justinus, Ado Vienensis*, usque ad seculum IX. *Zonaras* usque ad seculum Historiam continuans &c.

IV. Particularis Historiæ Scriptores innumeri ferè sunt, ideoque nonnullos ialtem lustrasse sufficiet.

*Particulares Historici.*

Ita in Historia Judaicâ præter S. S. Biblia *Josephus* lustrandus, & *Philo Judæus*; in Chaldaeorum aliorumque Orientalium Historia, *Herodotus, Ctesias, Xenophon, Berofus, Metasthenes, Appianus*; in Græca Historiâ *Thucydides, Polybius,*  
*Plu-*

*Plutarchus, Diodorus Siculus, Pausanias;*  
 in Historiâ Romanorum *Salustius, Cæ-*  
*sar, Titus Livius, Vellejus Paterculus,*  
*Corn. Tacitus, Suetonius, Florus, Dion-*  
*Cassius;* in Historiâ Francorum *Grego-*  
*rius Turonensis.* In Historiâ Germano-  
 norum *Corn. Tacitus, Hermannus Con-*  
*tractus, Lambertus Schaffnaburgensis, ut*  
 & *Beatus Rhenanus* de rebus Germa-  
 nicis. Adhuc specialiores Scriptores  
*Austria, Bohemia, Helvetia, Batavia,*  
*Brabantia, Hispanorum, Ungaria, Polo-*  
*nie, Svecia, Dania, Saracenorum, Turca-*  
*rum, Tartarorum, & Muscovitarum, Æ-*  
*thiopum* item, *Indorum, nec non va-*  
 riarum Civitatum, illustrium Virorum  
 ac bellorum præcipuorum Historicos  
 vid. in *Philippi Glaseri Catalogo, Syn-*  
 grammati Historico addito; Conferat-  
 tur etiam series Historicorum *Davidis*  
*Chytræi* in tract. de ratione discendi.  
 Nec tamen illi singuli aut etiam sal-  
 tem superius recensiti omnes speciali-  
 ter, & exquisitè pervolvendi necessa-  
 riò primis annis prærequiruntur; suffi-  
 cit *generalis cognitio, & in quibusdam*  
 aliqualis solùm eorundem perlustra-  
 tio, ut ubi unumquodq; deprehende-

re liceat, constare posse, quoties ad eos  
recurrendum.

V. Duo velut oculi Historiæ  
sunt Topographia & Chronogra-  
phia, quibus diriguntur in Studio  
Historico Lectores.

Oculi duo  
Historiæ.

Sine locorum enim & temporum  
notitiâ velut cæci versabuntur in Hi-  
storiâ. Ad Topographiam faciunt partim  
Globi terrestris cognitio; partim  
Mapparum Geographicarum sedula per-  
lustratio, partim Historicorum Geogra-  
phorum Lectio, quales sunt Ptolomæi  
Geographia, Strabonis de situ orbis ante  
Christum natum, Pomponii Melæ de or-  
bis situ; item è recentioribus Abra-  
ham Ortelii Theatrum orbis aliq; su-  
pra indicati, ac cum primis quæ Palæ-  
stinæ Descriptionem. In Chrono-  
logiâ præter cõputum Ecclesiasticum Cla-  
vii, Calendarium Hebraicum Sebast. Mün-  
steri, Fastos, Ebraeos, Athenienses & Ro-  
manos Mich. Beutheri, Chronologia re-  
rum sacrarum cognoscenda erit, sive  
Himmeli sive Helvici. Accedant post-  
modum Chronologiæ universales Sethi  
Calvisii, Buschelæri, aut etiam Dn. D.

I. Topo-  
graphia.

2. Chro-  
nologia.

Joh.

*Job. Bebmii*, quorum unus vel alter Theologiæ Tyronibus sufficiet. Utilis insuper est admodum *Chronologia Alstedii*, quod sit instar indicis variæ Chronologiæ. Quibus verò accuratius hoc Studium pertractare licet *Chronicon Eusebii & Hieronymi*, & *Scaligerum de emendatione temporum legant*, conferantq; simul aliorum Chronologicos labores, utpote *Ubbionis Emmii*, *Helvici*, *Functii &c.* Pro Chronologicis controversiis præter jam dictos consulendus *Dionysius Petavius* in *Rationario temporum*, *Samuel Petitus* in *Eclogis*, & *Miscellaneis*, *Kepplerus*, *Clavius*, *Vossius*; ut annales taceamus *Saliani*, *Tornielli*, *Baronii*, de quibus deinceps.

Observationes Historicae.


VI. Variæ adhæc observationes Historicae occurrunt, quæ specialiter à Studio Theologiæ lustrandæ veniunt.

Colligi possunt ejusmodi observationes historicae Studio Theologiæ non inutiles, ex his & similibus scriptis; utpote ex *Antiquitatum Scriptoribus Rossino* cum *Demstero*, è *Jacobi Strade Epitome Thesauri Antiquitatum*, è *Thesauro*

Criti-

*Critica Gruteri*, è *Scriptis Caroli Sigonii*  
 & *Gavanti Thesauro Sacrorum Rituum*  
 &c. è quibus aliquos v. g. *Rosinum* eli-  
 gere poterit Studiosus, & ad eundem  
 annotare & adscribere, quæ penes cœ-  
 teros occurrunt peculiaris sive ἐπι-  
 μνηστικῶς, sive remissivè saltem: item è  
 Scriptoribus, qui de rebus specialibus  
 variis egerunt, utputa de *Diis Genti-  
 lium*, quale est Syntagma *Lilii Gyraldi*,  
*Vossii* de Idololatria, *De Diis Syrorum*  
*Syntagma Seldeni*, de *Sacrificiis Genti-  
 liū Stuckii*, de *Sacrificiis Cloppenburgi*,  
 & *Schola Sacrificiorum D. Franzii*, quam  
 ille (Cloppenburgius) licet minus fi-  
 deliter contraxit: de *Festis Græcorum*  
*Meursii*, de *Festis Gentilium & Christiano-  
 norū Hospimiani*, de *Festis Diebus Dres-  
 seri*, de *Republicâ Ebræorum Sigonii*,  
 & *Petri Cunæi*, de *Successionibus Ebræo-  
 rum Seldeni*, de *usuris Salmasii*, de *jure*  
*Regio Schickardi*, de *re nummariâ Wase-  
 ri*, ut & *Matthie Hostii* de *re nummariâ*  
*Romanor. Græcorū & Ebræorū T. III.*  
*Capelli*, *Angelo-Cratoris*, de *Masorethis*  
*Tyberias Buxtorffii*, de *Prodigiis Polyd.*  
*Vergilii*, de *divinatione Peuceri*, de *Si-  
 byllis Schmidii*, de *migrationibus Gen-  
 tium*

*tium Lazius, de Gentium diversitate & lingvis Besoldus; &c. ut & Scriptores de rebus inventis & deperditis Pancirollus & Salmuthus, de rerum inventoribus Polydori Vergilii, Meursius de Ludis Græcorum, & de Saltationibus, item de Luxu Romanorū, de Funere & Puerperio Lipsius, De Saturnalibus & Amphitheatro, ejusdem admiranda Imperii Romani, & de militiâ Romanorum, Kirchmannus de funeribus, & hujusmodi alii. Quæ observationes sæpè magnam lucem tum locis Scripturæ, tum Controversiis Theologicis conciliant. Sed hæc impræsentiarum de Præ-*  
*quisitis Studii Theolo-*  
*gici.*





de specialibus mediis circâ singula illa studia ordine dispiciendum erit.

Distribu-  
tio Stu-  
diorum  
Sacrorum  
quæ  
Prima-  
ria.

Dispeſci poſſunt commodè St-  
dia Sacra in *primaria & ſecundaria*.  
*Primaria* ſunt, quæ circa Scriptu-  
ram Sacram occupantur; vel in *lectio-  
ne Scripturæ Sacræ cursoriâ*, quod Stu-  
dium vocamus *Biblicum*, vel in ejus-  
dem indagacione accuratiore, tum  
quâ *ſenſum* illius *proprium*, quod eſt  
proprie Studium *Exegeticum*, tum quâ  
*uſum*; eumque vel *Theoreticum*, qui  
geminus eſt; partim *confirmatio veri*,  
ad quam præcipuè facit *Studium Di-  
daſticum*, & *Catecheticum*, vel *Syste-  
maticum Locorum Communium* *συνα-  
τοροίνων* concernens; partim *confu-  
tatio falſi*, quam exequitur *Studium  
Polemicum* ſeu *Elencticum*: vel quâ  
*uſum Practicum*, qui tum *παιδευ-  
τικὸς & moralis* eſt, quo pertinent *Theo-  
logia moralis & Schola pietatis*, vel *vir-  
tutum & vitiorum*; tum *conſolato-  
rius*, quò faciunt *fontes Conſolatio-  
num & Studia eò directa*. Et ad hunc  
uſum Practicum utrumque tendit po-  
tiſſimùm *Theologia Caſualis*, ideoque  
huc non incommodè revocatur, cum  
maxi-



maximè occupetur in iis, quæ vel *παιδείαν* vel *παιδαγωγίαν* sacram concernunt, & ad informandam, corrigendam, erigendamque Conscientiam conducunt; Ut ut non diffiteamur, etiam circa sensum Scripturæ usumque Theoreticum instituendas venire Conscientias. Denique ad Practicum studium etiam reducitur Homileticum seu Concionatorium, in quò itidem concurrunt sensus Scripturæ, ejusdemque ad usum applicatio. *Secunda. Secundarium* denique Studium est Ecclesiasticum, quod nempe impenditur tum *Historia Ecclesiastica*, præter *Biblicam*, tum *Lectioi Patrum & Scriptorum Ecclesiasticorum Veterum ac recentiorum*: in quò Studio non ita præcisè ac necessariò omnes oportet occupari Studiosos, ut in prioribus ad Sacram Scripturam Legendam, explicandam, applicandamque facientibus, quæ à nemine negligi possunt. *Quomodo* itaque in singulis hisce cunctè procedendum sit, hæc *παιδεία* monēbimus.

*Biblicum  
Studium.*

Circà Biblicum studium seu cursoriam lectionem respiciendum partim ad ipsam Codicis Scripturæ S. lectionem cum in lingvâ Vernaculâ, vel Latina, tum etiam in lingvâ Originali & Authentica: partim ad repetitionem, annotationem, & observationem eorundem, quæ leguntur.

Non verò tantum cursoriæ lectioni Biblia translationis vernaculæ Germanicæ aut etiam Latinæ, quarum hæc usu magis frequentantur in *Scholis*, uti illa in *Ecclesiis*, subjicimus; sed authentica quoque *Ebræa*, & *Græca*, ut scilicet eadem nobis familiaria reddamus, styloque Spiritus S. magis magisque assuescamus; tametsi fontium accuratius scrutinium ad *Exegeticum* Studium propriè pertinere agnoscamus.

## CANONE S.

*Lectio  
Script: se-  
dula.*

I. Lectio Scripturæ S. sit prora  
& puppis studii Sacri

Ab

Ab hâc studium Theologicum  
*inchoandum*, eâdem id *continuandum*,  
 hac deniqve subinde magis magisque  
*perficiendum*. *Absolvendum* etiam di-  
 cerem, si absolvi unquam, & ab ullo  
 posset in hâc vitâ ; sed hoc differen-  
 dum omnibus eò, ubi non lectione  
 opus erit amplius, sed intuitivâ vi-  
 sione frui poterimus *1. Cor. 13. 12.* Nun-  
 quam ergò intermittatur Scripturæ S.  
 lectio, nec quicquam omninò in stu-  
 dio Sacro tractetur, quod non respi-  
 ciat S. Scripturam. Excitet nos ad  
 crebram Scripturæ lectionem man-  
 dati divini auctoritas. *Deut. 6. 6. Jos. 1. 8.*  
*Joh. 5. 39. Col. 3. 16. 1. Tim. 4. 13.* Scriptu-  
 ræ S. *necessitas* ac *summa utilitas* *Joh.*  
*20. v. 31. Rom. 15. 4. 2. Tim. 3. 16. sensuum*  
*Scripturæ imperscrutabilis profunditas*  
*Joh. 5. 39. 1. Cor. 2. 6. Biblici studii emi-*  
*nentissima dignitas* *Psal. 119. 72. Prov. 3.*  
*14. & ineffabilis suavitas* *Psal. 19. 13.*  
*Psal. 119. 103.* ac deniqve *Sanctorum imi-*  
*tatione dignissimorum sincera pietas,*  
 utpote *Davidis* *Psal. 119. Verboensium*  
*Act. 17. 11. Timothei 2. Tim. 3. 15.* quor-  
 sum pertinet Exemplum *Alphonsi Hisp.*  
*Regis*, qui *14. Biblia cum Lyrani com-*

mentariis & additionibus Burgenfis perlegisse fertur &c.

*Qualis  
esse de-  
beat?*

II. Legenda autem Scriptura Sacra reverentè, humilitè, ac ferventè.

*Reverentè, quod in ea DEUS nobiscum loquatur, unde & piis opus est precibus, ut DEUS cor nobis aperiat, & religiosâ veneratione, ut ea omnia, ceu divina suscipiamus, quæ traduntur in Scripturis. Humilitè, ut animo humili nos DEO docenti submittamus, ac rationem sub obsequium fidei captivemus, credendis fidem, ac faciendis obedientiam præbeamus. In mysteriis verbi requiritur pauper intellectus, & dives fides, ait Bonaventura. Ferventè, ne animo legamus olcitantis, aut tepido, sed intento discendiqve flagrantissimo, sine ullo lectionis Scripturæ fastidio. Petra est Scriptura, quæ non statim consuevit aquam doctrinæ fundere, nisi aliquoties legendo, meditando, & orando eam percutiamus.*

III. Ad cursoriam lectionem *Exemplar*  
 adhibeatur *Exemplar* commo- *Cursoria*  
 dum SS. Bibliorum, quod per *lection.*  
 totam vitam usui esse possit.

Cursoria enim lectio *memoriae* caus-  
 sa instituitur; cui plurimum interserviet,  
 si idem Exemplar semper retineatur,  
 ob memoriam localem, ideoque ca-  
 veatur omnino variatio Exemplaris.  
 Quod ut fiat, idoneum statim seliga-  
 tur, quod non solum annis *juvenili-*  
*bus*; sed & *Senilibus* usui esse possit ob  
 characteres clare expressos, ac probe  
 distinctos. Ideoque *Biblia Germanica*  
*B. Lutheri*, quæ in quarto complicant, *German.*  
 vel etiam in majori octavo clariori *Biblia.*  
 expressa characterè unâ cum notis  
 marginalibus *B. Lutheri*, & commodis  
 Summariis sive *Hütteri* sive *D. Crameri*,  
 sive *Sauberti* adhibeantur, ad usum  
 communem & perpetuum. Nam illa  
 in *majori forma* non ita apta sunt  
 quotidiano Studiosorum usui. *Biblia Latina.*  
 verò *vulgata versionis Latina*, vel e-  
 tiam, prout illa ab *Osiandro* emenda-  
 ta est, adhiberi poterunt *partim* quod  
 majoris sint auctoritatis & usus in Ec-  
 clesia, *partim* quod ob antiquitatem.

Græcum  
N. T.

Ebræa  
Biblia.

commendatiores sint, aliisq; multis de  
causis alibi recensitis *Tremellio-Junia-*  
*na, Tigurina* aliisq; translationibus præ-  
ferri debeant. *Græcum N. T.* vel  
cum translatione Latinâ vulgatâ *Era-*  
*smi* aut *Bezae*, vel quod seorsim editum  
fuerit cum *diversis lectionibus commu-*  
*nioribus* & notis *Jsaaci Casauboni* aut  
editionis *Roberti Stephani*, aut *Wechelli*,  
vel *Elzevirianis* emendationibus ului  
cursoriæ lectionis destinetur. *Ebræa*  
verò *Biblia* cursoriæ Lectioni, in hac  
lingva exercitioribus, convenien-  
tiora sunt, edit. *Plantini* in quarto  
aut octavo, vel etiam *R. Stephani* in  
quarto vel *Francofurt.* aut in sedecimo  
*R. Stephani.* Cæteris magis conveniens  
erit editio *Santis Pagnini* cum *inter-*  
*lineari versione* ex recens. & edit. *Aria-*  
*montani*, quæ etiam ob geminam illam  
translationem lectu digna. Commo-  
da quoq; est in disputationibus, potis-  
simum Theologicis illis, qui Ebræa si-  
ne punctis legunt, *Antverpiensis editio*  
in 8. (quanquam etiam *Plantini* cum  
punctis eadem formâ habeatur, sed  
rarius) præsertim cum obtineri etiam  
tali formâ queant LXX Interpp. nec non  
N. T.

N. T. Græcum simul & Syriacum, quæ uno volumine comprehendi poterunt, ut sine difficultate circumferantur.

IV. Germanicè à Theologiæ *Germanica Lectio.* Studioso ita legantur Biblia, ut ad minimum annuatim absolvantur.

Fieri id commodè poterit, si manè ante cætera Studia primum cum precibus ordinariis jungantur *Psalmi bini*. Sic n. *quater* ordinariè Psalmi intrà annum repetentur. Deinde legantur è cæteris libris *S. Canoniscis* quotidie *tria capita*. Die autem *Dominico*, ut & *festis diebus quatuor*: ita enim annuatim absolvetur legendo Sacer Codex. Si quorum ingenia & Studia permittant *vesperinam* etiam lectionem, ita distribuere poterunt operas, ut manè *duo capita* legant è libris *Didacticis*, *Canonicis*, quales sunt præter *Genesis* (in hac enim ceu oceano & fonte cæterorum multa *doctrinalia* continentur, ut ut aliàs liber sit *Historicus*) libri *Poëtici V. T.* & *Propheta majores ac minores*, & *Nov. Testam. Epistolæ*, atque *Apocalypsis*: & *vesperi* itidem *duo capita*

capita legant è libris Historicis, ceu reliquis omnibus Canonicis Vet. Testam. nec non è N. Test. Evangelistis & Actis Apostolicis, ac deniqve ex Apocryphis. Atqve ita pariter intra vertentis anni spatium evolvi poterunt Biblia. Ordo observetur librorum, qvi in Codice occurrit. Nam temporum ordinatione Chronologias rectius pensi habetur in accuratiori lectione cum cursoriæ finis præcipuus sit, ut familiares nobis reddantur summæ librorum, & capitum ac sententiæ præcipuæ.

Quid attendendū  
in lectione  
cursoria.

V. In lectione cursoriâ attendendum primò ad summam librorum & capitum, tum etiam ad dicta potiora.

Summa  
libri.

1. Summa libri cuiusvis sub auspiciis ejusdem perlustranda, in de-  
cursu item lectionis istius libri sedulo attendenda, & sub finem ejusdem de-  
nuò recolenda est, ut eò rectius memo-  
riæ infigatur. E. gr. in Genesi ob-  
servanda erunt 6. Patriarcharum vitæ  
Adami, Nohe, Abrahæ, Isaaci, Ja-  
cobi, Josephi, in quas commodissime  
historia



historia Geneseos dispescitur &c. cui  
 fini inservient *tabellæ* librorum Bibli-  
 corum, quales super omnes ferè ha-  
 bentur in *Octavo* edita, vel etiam *di-*  
*stributiones* illæ *Summaria* librorum in  
 memoriali *Himmeli*, in officinâ *Wal-*  
*theri*, aut in *Bibliis Vinaziensibus*.

*Summa capitum & ante lectio-*  
*nem* cuiusvis *Capitis*, & *cum eadem ab-*  
*soluta* fuerit, diligenter pensitentur,  
 ac memoriæ infigantur, ut series, or-  
 do ac contenta retineantur; ubi non  
 inutiliter adhibentur *Summaria* *Dn.*  
*D. Crameri*, vel *M. Sauberti*; quæ ca-  
 pitum partes ad marginem Bibliorum  
 usualium annotari poterunt, ut eò  
 firmius inhæreant, & facilius inveni-  
 antur.

*Summa*  
*capitum.*

3. *Memoria* etiam inserviet, si  
*versus memoriales* adhibeantur *libro-*  
*rum & capitum* *Biblicorum*, quales ha-  
 bentur in memoriali *Biblico* *D. Him-*  
*melii*, nec inutile est *Matthie Mar-*  
*tinii memoriale*, quod quolibet ver-  
 su quinque capita veluti digitis nu-  
 meranda compendiosè exhibet.

*Versus me-*  
*morial.*  
*vel voces*  
*mnemoni-*  
*cæ.*

Fecerint

Fecerint huc quoque voces *Mnemonicæ* Dn. D. Mentzeri, ut & *Tabella Mnemonica in Officina* Dn. D. Waltheri.

*Compend.  
memoria.*

Quod si Martinii voces memoriales singulæ singulis chartulis inscribantur & primum ordinè ex integro libro v. gr. *Geneseos* per easdem repetantur, deinde chartis inter se confusis ordineque variato, veluti per chartarum lusum libri Biblici memoriæ commendari poterunt; sic cognoscemus illicò, quid quovis libro contineatur, modò aliquoties lusus ille continuetur, & uno primum libro Biblico cognito, alius seorsim eadem ratione memoriæ infigatur, ac postea idem fiat permistis cum priori capitibus, & ita consequenter, quod quàm feliciter succedat, propria docuit experientia.

*Capitum  
allegatio.*

4. Ut infigantur memoriæ capita, daß man Capitel fest werde / præter dicta subsidia, & *memoriam localem* in Bibliis usualibus faciet, si aliqua saltem prius observata fuerint, per librum quendam Biblicum sive *Historica*, sive *axiomata* aut *Oracula*, quorum reminiscencia nos in aliorum capitum notitiam, utpote *vicinorum* deducere poterit:

rit: ita v. gr. Si per *Genesim* observetur in quibus capitibus *promissiones de Messia* occurrant, harum comparatione postmodum aliorum plurium recordari poterimus.

5. In libris *Judicum*, *Regum*, & *Chronicorum* series *Judicum* & *Regum* tam *Judeorum*, quam *Israelitarum* verbis memorialibus inclusa observanda est.

Series *Judic:* &  
*Regum.*

6. In lectione cursoriâ lineâ etiam subducantur, aut enotentur, ac memoriae infigantur *dicta potiora*; sed è quolibet capite, saltem unum; quandoquidem *tria* aut *quatuor capita* quotidie veniant legenda.

*Dicta potiora*  
*homiletica*; &  
*Classica probatia.*

7. Annotari etiam poterunt, recurrente lectione biblicâ, *dicta probantia* & *Exempla* peculiari libello titulis digestis juxta ordinem *Alphabeticum*. Quamquam enim tales habeantur *LL. CC. Biblici*, utpote *Thesaurus Vogelii*, *Enchiridion Marlorati*, *Feg-ernekeni*, & *Pauli Tosani*, *Dn. D. Cramerii* *Begweiser* / ut & *Concordantie Crellii*, quales utiliter adhiberi censemus, juvat tamen plurimum proprio studio talia etiam annotasse; quum &

magis

magis hæreant in memoria, & majori cum fructu propria usurpentur, non posthabitis tamen aliorum operis. Quid? quod peculiariter observari nonnulla possint, annis præsertim maturioribus; quæ fortè ab aliis non observata fuerint. Tales enim libellos succedentibus annis è Studio Biblico semper magis magisq; locupletandos, censemus.

*Bibl. Latin. Cur-  
sor. lectio.*

VI. Cursoria lectio Latini Codicis suscipiatur, semel atque iterum Germanico Codice jam evoluta.

Illa enim opus habent Studiosi ad disputationes atque præcipue illi, qui animum applicant docendi in Lyceo. Qui possunt, cum *tertium* evolvenda sunt Biblia, *Latinâ linguâ* evolvere eadem integra, textus etiam præcipuos pro re nata sibi annotare ad usus disputatorios, qui fortè nondum è libellis didacticis familiares rediti fuerint.

¶ (o) ¶

CAPUT

## CAPUT II.

## DE STUDIO EXEGETICO.

**E**Xegeticum studium concernit sensum Scripturæ S. qui per interpretationem eruitur, aut erutus ab aliis observatur. *Studium Exegeticum.*

Reqviritur ad hoc Studium *Quæ ad id reqviri-  
runtur.* *ἰστορίας* quidem lectio Biblica accuratior, quæ complectitur vocum & phrasium scrutinium, contextus ratione antecedentium & consequentium observationem, animadversionem similium Locorum Scripturæ, ut & contradicentium in speciem collationem & analogiæ fidei regulam: *δευτέρας* verò aliorum Interpplicationem.

Nam ut certissimus unicèque infallibilis sui ipsius interpretis est Spiritus Sanctus 2. Petr. 1. 20. ita *lingvæ* Spiritus S. probè attendere, ejusque *mentem, intentionem ac Scopum* ponderare,

rare, *constantem* insuper ac *perpetuam* Spiritus S. *sententiam* (quam in dogmaticis *analogiam fidei* vocant.) accuratè observare, quin & totam Scripturam S. conferre necessum est, ut num quâ alibi sese explicet, ac ne uspiam aliquâ vel minimâ ratione quicquam sibi contradictorium asserere statuatur Spiritus Sanctus, dispiciatur. *Interpretes alii* hæctenus admittuntur, in quantum illa omnia, quæ jam diximus, attenderunt; quâ vero in aliquo horum deficiunt vel à *Significatione*, vel ab *intentione* Spiritus S. vel à *contextus συνεχεια* vel à *fidei analogiâ & perpetuâ Spiritus S. sententiâ*, vel à *παρανομία* *Scripturæ* recedendo, non sequendi sed deserendi sunt.

*Media eò facientia:* Media ergò huc spectantia sunt i. Concordantiæ ratione vocum, & Lexica ac Onomastica Sacra, 2. Observationes Criticæ de Phraseologiis & sententiis. 3. Scrutinium contextus tum in vernaculâ, tum etiam in fontibus, si difficultates occurrant. 4. Atten-  
tio

no scopi; quorum faciunt & distributiones librorum & Capitum Biblicorum & observatio occasionum dictorum. 5. Analogia fidei animadversio, quæ ex locis clarioribus & Classicis Scripturæ, ac libellis Didacticis habetur. 6. Comparatio similium Locorum Scripturæ. 7. *ἰσὺν εὐαγγέλιον* conciliatio 8. Paraphrasium & interpretationum Collatio.

De his omnibus circa Sacram *ἐπισημειωτικὴν* docetur, heic tamen pro instituti ratione circa singula quædam monebimus.

## CANONES:

I. Lectionem accuratam Scripturæ aggrediatur Studiosus, ubi aliquam fontium notitiam habuerit, ac semel minimum Biblia cursoriè pervolverit. *Quando id suscipiendum?*

Qui nec fontes degustarunt, nec operosos Commentatores aut comparare aut scrutari possunt, illis commendata

imprimis sunt *Vinariensia Biblia Germanica*, quæ satis accuratam & genuinam exhibent in plerisque Paraphrasin (vel etiam *Paraphrasis Osiandricæ sive Latina*, sive quæ commodior ob discretam à textu interpretationem *Germanica nupera Lüneburgensis edition:*) ac contulit foret, eadem loco repetitæ cursoriæ lectionis intrâ annum pervolvere, quod commodè fieri poterit, si quotidiè *tria capita* legantur, & in *historicis* quandoque, ubi non occurrit insignis quædâ difficultas *quatuor*; Etiam si duarum fortè horarum spatium lectioni sit impendendum. Sed & iis, qui fontes adhibere possunt, utile fuerit hanc *Paraphrasin Theologorum Vinariensium* cum iisdem conferre, quibus vel unum caput expedire dictum suffecerit. Conjungere autem poterunt versionem *Tremellio-Junianam*, ut eò rectius animadvertant difficultates sive *Grammaticas*, sive etiam alias *textuales*: ut quibus sese expedire nequeunt, de iis consulant *Interpp.* aut si tanti fuerint, ut remorentur cursum lectionis, peculiaritèr annotent easdem, quo postmodum illas



accuratiùs investigent. Quo fine libellus peculiaris difficultatum Biblicarum secundum seriem librorum Biblicorum concinnari poterit, ut suo tempore de illarum solutione simus solliciti. Perquam etiam utile fuerit, si paginis singulis Codicis Biblici v. gr. *editionis Tremellii & Junii*, quæ notis jam instructa est non eruditis (vel etiam Vindoboniensium Bibliorum in tria vel 4. volumina distributorum) chartæ puræ inserantur, ut quæ fortè adhuc observantur, siue in illâ lectione accuratiori, siue aliàs in universi studii Theologici culturâ ad dilucidationem Biblici textus faciendâ, singula ad illa Scripturæ loca, quibus explicandis inserviant, adscribi queant: aut quæ prolixum fuerit adscribere, de illis saltem autores assignentur, ubi loca illa tractata inveniantur. Qualibus observationibus per aliquot annos continuatis ingens thesaurus colligi poterit. Quo pacto etiam suas observationes in libros Biblicos consignavit Dn. D. *Qvistorpius*: Adhibendum autem iudicium, ne quælibet promiscuè; sed quæ notata digna sunt, & vel ad

voces ac Phrases, ac idiotismum Spiritus S. vel ad Contextum, Scopumq; faciunt, vel etiam variarum interpretationum, non prorsus frivolarum, mentem concernunt, annotentur: ideoq; præstat *tertio* demum anno; ubi aliquantò maturius est iudicium Theologicum, eam consignationem inchoare. Si quis malit *peculiarem librum talium observationum* juxta seriem Biblicam sibi ordinare, non abnuimus: *priorem* tamen modum, cum ita in conspectu habeatur contextus, ac quicquid notatum jam est à Tremellio & Junio, præferendum censemus.

Concordantia  
Biblica.  
Earum  
usus.

II. Concordantiis Biblicis nullatenus carere potest Studiosus Theologiae.

Opus enim illis, non solum ut investigentur loca, quæ memoriæ excidunt; Sed cum primis, ut per *inductionem Exemplorum de vocum Significatione* statuatur. Quod in interpretatione maximum adfert momentum. Tales autem sunt *Concordantia Hebraica R. Mardochai Narban*, ad quas faciunt *Capitulorum explicationes Rensch-*

lini. *Concordantie Græcæ N.T. Stephanis*  
 vel quæ aliquantò perfectiores *Erasmii*  
*Schmidii*. Ad *LXX Interpp.* versionem  
 pariter & ad *Ebræum textum Vet. Test.*  
 imò & ad *Græcam phrasin Nov. Testam.*  
 ad *Ebraïsmorum elocutionem Græcam*  
 & *Græcismorum*. *Ebræam* plurimum  
 conducet eximium & nunquam satis  
 laudatum opus *Concord. Græcar. Con-*  
*radi Kirchneri*, de quarum usu tracta-  
 tus etiam peculiaris habetur, ejusdem  
*Kirchneri*. Qui *Ebræas Concordantias*  
 sibi comparare nequeunt, his *Kirchne-*  
*riane Græco-Ebrææ* defectum supplere  
 quodammodo poterunt. *Germanicæ*  
 ob usum vulgarem necessariæ sunt  
 à *Conrado Agricola* editæ. Ob *Latinam*  
*versionem vulgatam Concordantie* pecu-  
 liares prostant, quæ tamen magis fa-  
 ciunt ad *controversias cum Papistis*,  
 quàm ad sensum *Scripturæ*.

III. *Lexica, Onomastica &* *Lexica,*  
 id genus alia scripta universalialia, *Onoma-*  
 perindè ut *Grammatica & ad Cri-* *stica,*  
 ticam Sacram spectantia utilissi-  
 ma sunt ad *Scripturæ explicatio-*  
 nem.

De *Lexicis* supra actum, quibus tutius fides adhibetur, si *Concordantiarum* accurata collatio & *Exemplorum* inductio attendatur. Ad quæ etiam spectant *Clavis Scripturæ Flacii*, *Onomastica Chytræi*, *Lebbei*, *Frantzii*, *Matth. Martinii*, *Onomatologia Prophetica Glasii*, & similia Scripta. De *Grammaticis* etiam actum antea, quibus pro explicatione *Scripturæ* jungenda, *Grammatica vel Rhetorica S. Glasii*, *Abdiæ Prætorii liber de Phrasibus Ebraicis*, *Scripta Flacii in 2. part. Clavis*, *Nota Camerarii*, *Collectio Troporum Westhammeri* & similia. Quibus accedunt *Joh. Fernandi Thesaurus Scripturæ*, & *Gothofredi Tilemanni Allegoriæ & Tropologia Scripturæ*. Ob voces Ebræas in *Nov. Testam.* legantur *disquisitiones Caninii* in locos obscuriores *N. Test.* & *Drusius* ad voces *N. T. Ebraicas*. Conferantur quoque *Arias Montanus* in *Apparatu Biblior. Regior.* *Nicolai Sandæri Clavis David.* *Hieronimi Oleastri Ebraismi*, & *Canones* pro intellectu *Scripturæ*, *Sant. Pagnini Isagoge ad S. literas*: *Martini Cantapratensis Regulæ intelligēdi Scripturas*, *Renati Benedicti*  
Stro

*Sitomatum* lib. 4. *Martini Del rio* adagialia seu Phrases V. T. ut & *Zechneri* de similitudinibus & adagiis Sac. Scriptura.

IV. Ob diversitatem lectionum diligentem genuinam lectionis indagacionem opus est.

*Diverse  
Lectiones*

Ad eam conducunt in *V. Testam.* *Masorah* & magna & parva, edita cum *Bibliis Buxtorffii*, cui inserviet *Tyberias*, seu *Clavis Masorah Buxtorffii*, disputationes de puritate Fontium Vet. Test. *Glaßii Philologia S.* priores duo libri, & quæ prolixè de textu Ebræo tradidimus in *Critico S. Ad N. Test.* diversæ lectiones in editione *Roberti Stephani in Folio* faciunt. Collationem *Beza annotationum* in *Nov. Test.* *Ludov. de Dieu* in suis annotationibus, *Exercitationes Morini* & alia, de quibus omninò conferenda, quæ in *Critico S.* dicta sunt; ubi non solum plurimas lectiones diversas excusimus, sed & pleraque de hâc materia expendimus necessaria, ac simul *Morini exercitationes* sub examen magnam partem revocavimus. Huc spectant etiam *Luc. Bruggensis*

gensis Collationes, item Laurentii Vallæ  
de Collatione N. T. &c.

Scrutini-  
um con-  
textus.

V. Præter voces S S. in textu  
authenthico scrutinium contex-  
tum accuratum necessarium  
est.

De illo legendus omninò tractatus  
utilis *Dn. Franzii de Interpret. Script.*  
Videatur etiam *Idea Boni Interpret.*  
*Dannhaveri.* Referimus huc quoque  
ad Scripturæ explicationem facientia,  
quæ in *Miscellaneis Sacris Fulleri*, in *Ex-*  
*ercitat. Tarnovii*, *lectionibus variis Pet-*  
*ri*, *Exercitationibus Casauboni*, *Lucu-*  
*brationibus Cornelii Bertrami*, *Evange-*  
*licis Exercitationibus Sculteti*, *Lectio-*  
*Sacr. Rittershus.* in *Miscellaneis Ludov.*  
*à Cerda*, variis tractatibus *Aloysii Nova-*  
*xini*, animadversionibus sacris ad Tex-  
tum Ebraicæ V. T. *Arnol. Bootii* & si-  
milibus observari possunt, cum lucem  
Scripturis Sacris passim inferant,  
quorsum etiam faciunt Scripta *Ama-*  
*rie, Drusii*, & aliorum Philologorum  
ac Criticorum, ut & ea, quæ in Phi-  
lologiâ Grammatica & Rhetoricâ Sa-  
cra

era *D. Glasii* expediuntur Scripturæ loca &c. Quæ omnia data occasione percurri possunt, ita ut annotentur observatu digna ad Libros & Capita Bibliorum, vel indicentur saltem Autorum loca, ubi illa habeantur.

VI. Ob Conciliationem Locorum Scripturæ dissidentium, juxta cum accurata fontium & contextuum indagazione Harmonici Scriptores consulendi sunt.

Quales sunt Harmonia Scripturæ *Dn. D. Waltheri*, quæ præprimis, quod ad nuperam & novissimam editionem in Quarto, Studiosis meritò commendatur. *Conciliatio Locorum Althammeri*, *Hermannii Bodii Conciliatio à Patribus instituta*, *Gerhardi Bergumensis Conciliatio Vet. Testam. cum N. Francisci Junii Parallela Sacra*; & in Specie quæ conciliationem Evangelistarum commendatissima sit Studiosis *Harmonia Chemnitii* continuata à *Lysero* & *Gerhardo*. Epitomes succinctioris loco est *Harmonia Cluveri: Calixti Concordia* talis est, quam vix ipse autor probat.

*De Ver-  
sionibus  
Biblicis.*

VII. Versionum & Paraphra-  
sium præcipuarum Vet. & Nov.  
Testam. collatio sæpè perquam  
utilis est ad genuinum eruendum  
sensum.

Tales sunt in V. Testamento Pa-  
raphrases *Chaldaica*, de quibus supra,  
*Versiones Græcæ*, ac cum primis LXX  
Interpp. *Pentateuchus* itidem & *Psalte-  
rium Arabicum*, versio *Latina Sancti  
Pagnini & Ariæ Montani*, versio *Junio-  
Tremelliana Latina*: in *Nov. Testam.*  
*Paraphrasis Syriaca, Arabica, Æthiopi-  
ca, Persica, Erasmi & Beza Latina, Po-  
lani Germanica*. In *UTRUMQ;* *Ve-  
tus & Nov. Testam.* versio *Latina vul-  
gata, Latina Isidori Clarii*, quæ etiam  
est correctio vulgatæ, *Conrad. Pelicani*,  
quæ itidem interpolatio est vulgatæ,  
ut & *D. Osiandri*, qui pariter emenda-  
vit vulgatam versionem: *Sebastiani  
Münsteri*, quæ affectat idiotismos *E-  
braicos, Tigrina* quæ sub nomine  
*Vatabli* venditur, Versio item *Lati-  
na Sebast. Castellionis*, quæ exiguan-  
meretur laudem: versio *Helvetica Ti-  
gurinorum Belgica* nuper decreto *Sy-  
nodi*



*modi Dordrac.* edita cum notis, quæ  
 commendari in plerisque meretur,  
 præ aliis Calvinianis & versionibus &  
 interpretationibus: Germanica item  
*Piscatoris*, quæ minoris est pretii, &  
 quæ omnibus reliquis versionibus lon-  
 gè præferenda, *Germanica B. Lutheri*  
*nostri* versio: quo opere nihil in hoc  
 genere Solem vidisse elaboratius me-  
 ritò judicat *Luc. Osiand.* præfat. Tom. I.  
 in *Bibl.* cujus legendæ gratia *Fr. Dry-*  
*ander* Hispanus Germanicam linguam  
 didicit, cui etiam *Rhetor Calvin:* pri-  
 marius *Job. Sturmius* hoc tribuit elo-  
 gium: *Si religionis restitutio non esset,*  
*si nulla conciones ejus (Lutheri) extitis-*  
*sent: si nihil scripsisset aliud, quàm ea*  
*quæ in V. & Nov. Testam. translata di-*  
*vulgavit, tamen summa ejus & perpe-*  
*tua in hoc labore deberet extare gloria.*  
*Si enim hujus Germanica translatione*  
*cetera Græcorum Latinorum aliorumq;*  
*comparentur, cedere coguntur perspicui-*  
*tate, puritate, proprietate, similitudine*  
*Hebraicæ originis. Credo, ut Apellem ne-*  
*mo legitur pictorum superasse, ita nec Scri-*  
*ptorum quidem quisquam Lutheri con-*  
*versionem poterit vincere.*

De plerisq; illis versionibus legi poterit tùm *Dn. D. Gerhardus* in *Method. Stud: Theolog. & Exegeſi Tom. 1.* tùm *Dn. D. Waltherus* noſter in *Officinâ Bibliçâ*: tùm *Andreas Rivetus* in *Iſagogæ in Scripturam S. &c. De Verſionibus Græcis V. T. antiquis, & de Verſione LXX Interpp.* ut & de *verſione vulgatâ Latinâ* prolixè actum eſt in *Tom. 1. ſuper Auguſt. Confefs. vel Critico Sacro. Vulgatam Verſionem* cum fontibus ſedulò contulit *Sixtinus Amama* in *Cenſurâ vulgatæ verſionis & Anti-barbaro Biblico*: *Fontes Sacros* in locis, quæ vitiata volunt Pontificii, operoſè vindicavit *Dn. D. Glaſſius* in *Philolog: Sacra*, nos ſuccinctius paulò, at longè pluribus in locis corruptionis Scripturæ ſuſpicionem & ἐγυλνμα id diluimus, ac fontium puritatem aſſeruimus in *Critico Sacro*, vel *Tom. 1. ſuper Aug. Confefs. Periphræſes varias* in *N. T.* eximiè confert *Ludov. de Dietſch* in *Annotatis ſuis*, utpote *Syrum, Arabem, Ethiopem, Vulgatum, Erasmum, Bezaam*: in *Vet. Teſtam.* collationem ſuccinctam, ſed perutilem paraphraſium nonnullarū cum *Fontibus Ebræis* inſtituit

Tituit Sixtin: Amama in der Biblischen  
 Conferentz, quod Scriptum ad soli-  
 dum Fontium scrutinium nō parum fa-  
 cit, lectuq; dignissimum est. In *Psalmis*  
*Ebraum* textum cum *Ambico*, *Syro*, *Chal-*  
*daico*, *Rabbinico*, *Græco*, *Romano*, *Italico*,  
*Hispanico*, *Gallico* cōfert *Johann. Vicars*  
*Anglus* in Decaplis in *Psalmos Londi-*  
*ni Anno 1639* editis, & in *Specimine*  
*Lingvæ Coptica Persicæ &c.* Verhorum  
 nonnullarum errata detegit *Dn. Wal-*  
*therus l.c. LXX.* Inturpp: varia *αὐαπτά-*  
*πία* notamus, & quomodo ea nequic-  
 quam *Morinus* tueatur, ostendimus *Cri-*  
*tico Sacro* vel *Tont.* in *Aug. Confess.*  
 ubi itidem aliquot centena errata vul-  
 gatae versionis expendimus, adeoq; to-  
 tidem Scripturæ loca strictim illustra-  
 vimus. Multa in *Bezæ* versione corru-  
 pta allegat *D. Huberus* in clangore tu-  
 bæ. *Piscatoris Herbörnensis* translatio-  
 nem castigarunt *Paulus Röderus* scripto  
 peculiari, & *Petr. Piscator Jenens.* Dispa-  
 tationibus eximiis, ut & *D. Himmelius*  
 part. 1. *Harm: Calvino - Papist.* pag. 18.  
*Lutheri* versionē Germanicā peculiari  
 calumniarum volumine impetiit tūm  
*Melch. Zangerus* tūm *Holzac Jesuita*, sed  
 ab il-

ab illis eam vindicavit *Mich. Beringerus*, hunc verò confutavit *D. Grosbain*.  
 E Calvinianis in publicum edere eandem non dubitârunt *Neostadiani*, sed corruptam marginalibus, castigati à *Jacobò Andrea*; ut & *Herbornenses* quorum imposturam detexit *Facultas Theologica Witteb.* in suâ Admonit. German. 1598. itemqve *Paulus Tossanus*, Anno 1617. quem confutavit *Dn. D. Winkelmannus noster*; Vid. Disput. 17. Tom. VI. Giesensis, & *necessariâ* ejus *Responsio ad Apologiam Tossani pro suis notis Biblicis.*

*Collatio*  
*Scriptor.*  
*dogmatic.*  
*& Elenct.*

VIII. Præter Interpretes fructuosè conferuntur, quoad loca controversa dogmatica, Orthodoxorum Theologorum Scripta Elenctica & Didactica.

Illic enim accuratiùs discutiantur etiam minima, quàm ab ipsis Interpp. fieri solet: ideoq; perutile fuerit, ea, quæ paulò accuratiùs in *Elenctis* & *Didactis* tractata in quotidianâ Lectione reperiuntur loca chartis Bibliis insertis annotare, ut velut in repertorio semper inveniantur: Ita v. g. cum ex profes-

professo Dn. Gerhard. LL. CC. quædam  
 loca Scripturæ tractavit, annotari ea  
 possunt, quæ tractata diligentius re-  
 periuntur ad Textum in Scripturis, at-  
 que ita de aliis. Sic conferri quoque  
 poterunt, qui oracula Scripturæ vel  
 peculiaria vel integrorum Scripturæ  
 librorum controversa tractarunt, vin-  
 dicarunt, uti factum in *Spongiâ Mo-  
 saicâ Waltheri* & in *vindiciis nostris in  
 Oracula Epistolæ ad Romanos*. Sic pecu-  
 liari Studio *Protevangeliium Gen 3. 15.*  
 elaboravit Dn. *Waltherus* in Officinâ  
 Biblicâ, *Desiderium Evæ Gen. 4. D. Hel-  
 vicus*, promissionem Schiloh Gen. 49.  
 itidem *Waltherus* in *Exercit. Biblicis*.  
 Ita loca difficilia *Gen. 46. 27. Act. 7. 14.*  
 & *Luc. 3. 36. de Kainan*, ut & *Psal. 40. 7.*  
*Ebr. 10. 5.* ac hujusmodi alia sive cor-  
 ruptionis argui solita in fontibus, sive  
 in vulgatâ versione corrupta, diligen-  
 tèr excusimus *Tom. I. super August. Con-  
 fessionem vel Critico Sacro*. Loca de  
 naturali DEI Notitiâ & de Nominibus  
 divinis in Controversiam vocata à So-  
 cinianis nō sine Studio singulari con-  
 sideravimus *Tomo II. super August. Con-  
 fessionem vel Theologiâ naturali*, & *Re-*  
*vela-*

*velat à: confimiliter & loca à Socinianis corrupta de Trinitate sedulo expendimus ac vindicamus tum in prædicto Tom. II. super Aug. Confess. & cum primis in Anti-Crellio (eodem Tomo comprehenso) tum in Apodixi S. S. Trinitatis, quâ omnes Enjedini Explicationes Locorum V. & N. T. & alia pleraque de his materia occurrentia loca Biblica ex professo pertractantur. Alii alia passim expenderunt sedulo Scripturæ loca, quæ longâ serie recenseri possent. Quò etiam pertinent D. Georg. Köningi vindiciæ Sacra &c. Quæ omnia observasse, & ad illa Scripturæ loca annotasse proderit vel nudâ saltim indicinâ, ut ad ea subinde recurratur, ubi opus. Quorsum facient imprimis variæ Disputationes de Dictis classicis e. gr. Fides Jobi cap. 19. D. Meisneri, Ejusdem Logologia Sacra è Joh. 1. cap. Dn. D. Welleri de Esaia cap. 53. D. Glassii de Psal. 110. Dn. D. Myslenta de Ezech. cap. 33. & de Col. 2. 9. &c. Item Scholæ Prophetice Dn. D. Crameri, & alia hujusmodi plurima. Denique loca à D. Hunnio contra Calvinum Judaizantem & ejus Hyperstistem Pareum asserta.*

Sunt

Sunt & nonnulla in Scriptis *Cameronis Gomari*, & aliorum quorundam Reformatorum Didacticis vel Elencticis expedita, quæ itidem observasse juvabit.

IX. Notæ in Sacram Scripturam textuales, ubi Difficultates emergunt in lectione potius adhibendæ quàm integræ ordine pervolvendæ. *Nota textuales:*

Cui enim Studioso tantumdem temporis sufficiet, ut notas Biblicas textuales pervolvat, vel quorundam saltem nedum plerorumquæ auctorum? Interim annotasse quædam juvat, ut quæ consuli possint, constet. Sunt autem aliæ in omnes Scripturæ S. libros, quales sunt ex Orthodoxis *Annotat: Osiandri textui additæ*, ut & *Annotata Dn. D. Quistorpii*, cuius tamen scopus non fuit difficultates plerasquæ attingere, sed sparsim quædam observare. *Joachimi Camerarii* notatio figurarum in libros N. T. utilis est, ob voces & phrasas textûs Authentici: Ad sententiam Scripturæ N. T. magis ac-

commodata est *Glossa Flacii*: universæ Scripturæ sensui genuino maxime conducit *Paraphrasis egregia Bibliorum Vinariensium Germanicorum*. E Reform. annotationes *Junio-Tremelliana* ut & illæ, quæ nuperæ versioni Belgicæ additæ multum præstant. *Piscatoris notis*, magis ad Calvinianam *heretico-podogiam* accommodatis. *Ludov. de Dieu* annotata in Veteris & Nov. Testam. ut & *Job. Drusii* maximam partem critica sunt, illa tamen præferenda, quod sedulò conferant *versiones Orientales*, neq; negligant contextum hæc *Rabbinica* ac *curiosa*, magis inpletisque, quàm fructuosa. *Beza* in Nov. Testam. quamvis doctæ, cum iudicio legendæ: *Heinsius* plerunqve in *Criticis minutiis*, iisque haut raro parùm utilibus hæsit, quem castigare cœpit in suis animadversionibus in *Nov. Testam. Crojus*, sed magis procciter, quàm feliciter. *Camero* in *Myrothecio* cum *Capellæ spicilegio* edito magis utilia persequitur. E Pontificiis præter *Immanuelem Saa* prostant *Gwilhelmi Estii* notæ, quas vocat *Aureas*; sed in quibus iudicio itidem opus est



est, si auri quid seligendum. *Erasmus* in Annotat. in Nov. Testam. similiter non nisi ab illis, qui sensus jam exercitatos habent, legendus. *Rabbinorum Commentationes* persequitur *Seb. Münsterus* in Annotat. ad Vers. suam Vet. Testam. Multa etiam utilia observat *Vatablus*. *Castellionis* notæ parum juvabunt. *Hugo Grotius*, qui nulli addictus Religioni peculiarem sectam constituit, in annotatis suis nonnulla quidem ad Crisin facientia habet, haut inutilia; sed in *Dogmaticis locis* sedulo cavendus est, in quibus plerumque *Papizat*, aut *Arrianizat*, sæpè etiam *Judaizat*, sapissimè novâ glossâ textum conspurcat, ac Sociniano more torquet Scripturas Sacro-sanctas, ut hoc opere Annotationum Veteris ut & Nov. Testam. vix exitiosius Sol viderit unquam.

X. Interpp. Scripturæ pervolvere, vel potiores saltem, non unius Homini est, præstari autem aliquid posset, si operæ inter aliquot Studiorum socios distribuerentur.

*Selegendæ  
Interpp:*

Quod fieri poterit vel ut *Distributio* instituat<sup>r</sup> *Librorum* inter plures, quorum unusquisque in eum qui sibi obligit, præcipuos percurrat *Interpp.* & potiora annotet aliisque communicet: vel distribuantur *Interpp. diversius ejusdemq; Libri*. De quibus hæc observanda (1.) *Quæ circa diversas Lectiones* occurrunt. (2.) *Quæ ad vocum significationem & Emphasin, ad Phrases seu Constructionem pertinent, seu Lexica, Grammatica, Rhetorica, aliaq; Critica.* (3.) *Quæ ad sensum genuinum, vi contextus faciunt, de quo objecto, quid, quomodo dicatur, ut ita vera analysis Logico-Hermineutica spectetur.* (4.) *Quæ potiores diversas interpretationes Veterum & Recentiorum attinent.* (5.) *Quæ loci varias corruptelas ac depravationes concernunt.* (6.) *Quæ Hermineuticis questionibus circa Textum occurrentibus inserviunt, eodemque faciunt.* (7.) *Quæ ad usum conducunt Elencticum, Didacticum, Paræneticum, aut Paracleticum, vel ad Locos Communes, ut vocant.* (8.) *Quæ ad locorum dissonantium conciliationem spectant.* Potiores autem *Interpp.* qui

qui consuli possunt, si ferè sunt. In *Commen-*  
*totam Scripturam Paraphrasin adorn-* *tar. in*  
*navit Lucas Osiander, Glossam textualem Bibl.*  
 succinctam habent *Theologi Vinarien-*  
*ses in Bibliis Germanicis*, quomodo in  
 plerosq; libros S. è scriptis B. LUTHERI  
 colligi possit Interpretatio, docet in  
 suò Pastoralì *Conradus à Porta* p. 122.  
 seqq. (quale opus Regium urget *Dn. D.*  
*Waltherus* in Præfat. Offic. Biblicæ) in  
 plerosqve etiam Commentaria edidit  
*Job. Brentius*, & è Reformat. *Calvinus*,  
*Pellicanus*, & *Piscator*. Habetur & *Glossa*  
*interlinearis* & *marginalis*, ut & *Glossa*  
 (quam vocant) *ordinaria*, Strabi, quam  
 cum Commentariis *Rabani*, *Nic: Lym-*  
*ni*, & animadversionibus *Burgensis* &  
 Replicis *Döringi* Biblia, glossata exhi-  
 bent. Extant insuper in Biblia *Scholia*  
*Isidori Clarii*: itemqve Commentaria  
*Stephani Menochii*, ut & *Jacobi Tiri-*  
*ni* Jesuitæ, nec non Biblia magna;  
 ex his & Annotationibus *Imman-*  
*Saa* &c. congesta. In Vet. Testam.  
 annotationes edidit *Job. Marianus*: De  
 Rabbinicis commentatoribus vid: *Bux-*  
*torffii*, ut & *Andr. Schott*. Jesuit. in ap-  
 pendic. Catalogi Interpp: Script.

*Cōment.  
in Pentateuch.*

In Pentateuchum habentur Cōmentaria Davidis Chytræi, Christophori Pelargi, Erasmi Marbachii: item Johanni Calvinii, Francisci Junii, nec non Augustini Steuchi Hieronymi ab Oleastro, Johanni Feri, Jacob. Bonfrerii, ut & Corn. à Lapide: itemq; Catena Patrum Græcorum in Pentateuch. in 8. Colonia. E Rabbiniis R. Menasse Ben Isnuël Conciliatorem in Pentateuchum adornavit. Loca controversa asseruit Dn. Waltberus in Spongiâ Mosaica.

*In Genes.*

In Genesim prostant Aloysii Lippomani Catena, Cōmentaria B. Lutheri, Lyseri, Salom. Gesneri, D. Dav. Rungii, & B. Gerhardi. Ut & è Reform. Johanni Merceri, D. Parei, Andr. Willeti, & Andrea Riveti, E Pontificiis Mart. Delrio, Pererii & Ascanii Martinengii &c.

In Exodum Rungii, Ios. Simleri, Andr. Riveti, qui & super cap. Exod. 20. peculiariter scripsit, ut & Andr. Willeti nec non Iohann. Hesseli. In Leviticum B. Franzii, Willeti, & Iob. Serrani & Lordini Jesuitæ. In Numeros Cajetani, ut & Joh. Wolffii. In Deuteronomion B. Lutherus, Franzius & Joh. Wolffius extat.

In Iosuaam, Judices & Ruth Cōmentaria

itaria edidit è nostris *D. Chytræus*, è Papi-  
 pistis *Jac. Bonfrerius*. In *Iosua* pecu-  
 liariter à nostris *Balduinus* conciones  
 Germanicas. E Reformatis in *Iosua*  
 Còmentar. edidit *Lavatherus*. E Papi-  
 stis *Ferus*, *Mafius* & *Nic. Serrarius*. In  
 Librum *Judicum* *Balduinus*, *Lavatherus*,  
 & *Petr. Martyr*: nec non è Pontificiis  
*Cajetanus*, *Arias Montanus* & *Serrarius*.  
 In Librum *Ruth*, *Leo Juda*, *Lavathe-*  
*rus*, *Wolffius*, *Drusius*, ut & *Cassparus*  
*Sanctius*, *Serarius* ac *Fevardentius*.

In Libros *Samuelis*, *Regum* & *Chroni-*  
*corum* scripsit *Viçt. Strigelius*, ut & *San-*  
*ctius*. In Libros *Samuelis* *Hieronimus*  
*Wellerus*, & *Petrus Martyr*. In Li-  
 bros *Regum* *Mendoza* & *Martyr*. In Li-  
 bros *Paralipomenon* *Sarcerius*, *Lavathe-*  
*rus*, & *Sanctius*, ut & *Fevardentius*.

In Librum *Esther* *Drusius*, *Sanctius*,  
 & *Serrarius*.

In *Jobum* *Dn. D. Christ. Scultetus* è  
 nostris: è Reformatis *Oecolampadius*, *Cal-* In *Jobum*,  
*vinus*, *Beza*, *Mercerus*, *Lavatherus* &  
 nuper *Coccejus*. E Pontificiis *Cajetanus*,  
*Pineda* & *Sanctius*, itemq; *August. Steu-*  
*chus* & *Aug. Justinian*: Extat & in *Jobum*  
*catena Græcorum Patrum Nicetæ* à Pa-  
 tritio *Junio* edita. Mm 4 In

In Psalmos è nostris commentati sunt *Job. Bugenbadius Pomeranus, Barthol. Westhemmerus, Sal. Gesnerus, Erhard. Schnepffius.* Homilias tantum adornarunt *Dn. Morlinus & Arndius.* *Dn. Henr. Höpfnerus* Comment. in plerosque Psalmos concinnavit, sed is adhuc *civex doli* est. In Psalmos autem Pœnitentiales scripsit *Dn. D. Job. Tarnovius.* E Reformatis in Psalmos scripsere *Joban. Calvinus, Möllerus, Musculus,* & qui in rar omnium est *August. Marloratus.* Decapla in Psalmos edidit *Job. Vicars Anglus.* In Psalmos Propheticos commentatus est *Andr. Rivetus.* E Pontificiis Psalmos enarrarunt *Genebrardus, Jansenius, Titelmannus, Lorinus, Bellarminus,* & *Simon de Muis.* Habetur etiam *R. Kimchi* Commentarius in Latinam translatus Lingvam.

In tres Libros *Salomonis* commentatus est *Job. Mercerus,* ut & *Corn. à Lapide, ac Job. Lorinus.* In Proverbia *Draconites* è nostris, & *Lavatherus ac Thom. Cartwrightus,* ut & *Theod. Peltanus ac Jansenius.* Catenam Latinè quoq; reddidit *Theodor. Peltbanus.* In Ecclesiasten *L. Gejerus* è nostris, & *Tirelmannus,*

mus, *Ferus* ac *Jansenius* è Papistis, ut & *Bucerus* & *Cartvrichtus* è Reformatis. In Canticum Canticorum præter Postilla Salomonea *Gerhardi* extant Commentaria *Loffii* & *Durfeldii*, ut & è Pontificiis *Sanctii*, *Delrio*, *Lud. de Ponte*, *Titelmanni*, *Jac. de Valentia*, *Andr. Pinti*, *Ramienex*, itemq; *Vatabli*, *Beza* ac *Brichtmanni*.

In Prophetas omnes commentati sunt è nostris *Wigandus* & *Pappus*, è Pontificiis *Christophorus à Castro*, & *Corn. à Lapide*.

In Prophetas.

In Majores *Chytræus*, *August. Marloratus* & *Sanctius*. In *Esaiam* *Lutherus* Tom. III. *Jenens. lat. Schnepsius*, *Arcularius* & *Försterus*: è Reformatis *Zvinglius*, *Oecolampadius*, *Bullingerus*, *Musculus*, *Abrah. Scultetus*, E Pontificiis *Leo à Castro*. In *Jeremiam* *D. Pomeranus*, & *Heerbrandus*, ut & *Zvinglius*, nec non *Maldonatus*. In *Threnos* *B. Hunnius* & *Job. Tarnovius*, *Tossanus*, ut & *Maldonatus*. In *Ezechielem* *Oecolampadius*, *Junius*, & *Maldonatus*, & in *Templum Ezechielis* *Hafenrefferus*, & è Pontificiis *Vilalpandus* & *Hieronymus à Prato*. In *Danielem* *Ægid. Hunnius*,

*Salom. Gesnerus, Lyserus, & è Reformatis Oecolampadius, Polanus, Junius, Rollocus, Brugtonus. E Pontificiis Pererius & Maldonatus, itemqve R. Jafchiades cum notis Constant. L Empeur.*

*In Prophetas  
minores.*

*In Prophetas minores D. Lutberus, Wigandus, Winckelmannus, & Joh. Tarnovius, ut & Oecolampadius, Daneus, itemqve Maldonatus, Arias montanus, & Fr. Riebera. In Hoseam Gesnerus & B. Meisnerus: ut & Mercerus ac Pareus. In Joëlem Gesnerus & Mercerus ac Pareus. In Amos iidem. In Obadiam Gesnerus & Mercerus, Reinoldus ac Drusius. In Jonam Schnepsius, Mercerus, Junius, ac Drusius. In Micheam Dav. Chytraeus. In Nahum Chytraeus, Ludov. Crocius ac Drusius. In Habacuc Chytraeus ac Drusius. In Sophoniam Bucerus, Urbanus Regius & Drusius. In tres postremos Prophetas minores Balduinus, Himmelius ut & Balth. Willius. In Haggæum Pareus. In Zachariam Joh. de Reiroles. In Malachiam deniqve Polanus.*

*In N. T.*

*In Nov. Testam. habemus Glossam Flacii, ut & expositionem Catholicam*

*Marlo-*



*Marlorati*, *Benedicti Aretii* Commentarium, nec non *Salmeronem* ac *Cornetium à Lapide* è Pontificiis, quibus nuper accessit *Aloysius Novarinus* omnes Libros N. T. expendens.

In Evangelistas peculiariter commendata esse nobis debet *Chemnitii*, *Lyseri* & *Gerhardi Harmonia*, quæ nunc denuò prodiit Hamburgi. E Reformatis in eosdem commentatus est *Musculus*, è Pontificiis *Barradius*, *Iansenius*, & imprimis *Maldonatus*.

In Matthæum scripsit *Hunnius*, *Pelargus*, *Iunius*, *Pareus*: ut & è Pontificiis *Tostatus* & *Ferus*. Extant & *Oecolampadii* ac *Tosani* in Matthæum Commentaria. Marcum explicarunt *Franciscus Lambertus* & *Winckelmannus*, ut & *Daneus* ac *Junius*, nec non *Cajetanus*: Lucam itidem *Lambertus*, & *Winckelmannus*, ut & *Toletus*, & *Didacus Stella*. In Johannem Commentatus est *Chytræus*, *Wigandus*, *Hunnius*, *Pelargus*, ut & *Paulus Tarnovius*: & è Reformatis *Cruciger*, *Rolocus*, *Hemmingius*; è Pontificiis *Toletus*, *Pererius*, & *Ferus*.

In Acta Apostolorum scripsit *Arularius*, *Sanchez* & *Lorinus*.

In Epistolas *Paulinas* è nostris in plerasque omnes scripsere *Hunnius*, *Weinrichius* & *Balduinus*, ut & *D. Job. Cluverus*, cujus orthotomia ob nervosam brevitatem & eximiam analyfin laudem atque diligentem lectionem meretur. E Pontificiis commentati sunt in omnes Pauli Epistolas *Cajetanus*, *Ben. Justinianus*, & in primis *Guilb. Estius*. E Reformatis *Bullingerus* & *Vorstius*. In Epistolam ad Romanos è nostris *Rungius* & *Mylius*, quò etiam faciunt *Oracula nostra in Theologiâ Romanâ*. E Reformatis *Martyr*, *Pareus*, *Gryneus*, *Willetus* & *Gomarus*. E Pontificiis *Pererius* & *Stapletonus*. Ad Corinthios priorem *Heshusius*, *Mylius*, *Martyr* & *Pareus* explicarunt. Posteriores *Musculus*. Ad *Galatas* & reliquas Epistolas posteriores Pauli, ut & ad *Hebræos* explicavit *D. Qvistorpius*. Scripsit etiam in Epistolam ad *Galatas* *Pareus* & *Perkinsius*, ut & *Schlichtingius* Socinianus è Prælect. *Crellii*. Ad *Ephesios* *Althofferus*, *Zanchius*, & *Job. Crocius*. Ad *Philippenses* *Zanchius* & *Gomarus*. Ad *Colossenses* *Gomarus* & *Davenantius*. Ad *Thessa-*

Theſſalonic. Rollocus, Zanchius & Gomarus, ut & Moscorovius Socinianus è prælect. Crellii. In utramque ad Timotheum B. Gerhardus, Claudius Effensejus & Sasboth, & in priorem Danaus. Ad Titum Calixtus. Ad Philemonem Gomarus. Ad Ebræos è nostris Baldunus, Gerhardus, ut & D. Michæel Waltherus in Homiliis: Huc etiam fortè aliquid conferre poterit *Vestibulum nostrum* i.e. Epistolam ad Ebræos nuper editum. E Pontificiis Riebera, Ludovicus à Tená, Estius. E Reformatis Junius, Pareus & Gomarus.

In Epistolas Petrinas Fewardentius, Lorinus, Gomarus, & cum primis B. Gerhardus noster. In priorem Petri Pareus. In Epistolam Jacobi Paëz è Pontificiis. E Reformatis Pareus & Jac. Laurentius: ut & Dn. D. Brochmandus è nostris. In Epistolam Judæ Junius & Pareus. In Johannem Lorinus: in Priorem Johan. Zanchius, itemque Socinus.

In Apocalypsin è nostris Chytraus, Winckelmannus, D. Hoë & D. Job. Cluverus, ut & Dn. D. Gerhardus; è Pontificiis Riebera, Blasius de Viega, Alkasar, &c.

& è Reformatis, Junius, Pareus, Brichtmannus &c.

In Apocryphos.

In Apocryphos scripsit Strigelius; in Syraciden Chytraeus, Camerarius, Höschelius, Drusius, ut & Cornel. à Lapide. In librum Sapientiæ Selneccerus, Conradus Dietericus, Höschelius, Hemmingius, item Cornel. Jansenius, Corn. à Lapide, & Job. Lorinus. In Baruch Corn. à Lapide, ut & Maldonatus. In Tobiam Barthol. Hederich / Drusius & Serrarius. In Judith Serrarius & Celsada. In Maccabæos itidem Serrarius & Drusius. In Assumenta Danielis Corn: à Lapide; In Assumenta Esther Serrarius. Conferantur & Reinoldi Censuræ in Apocryphos &c. Plures Commentatores in Bibliothecâ Theologicâ Bolduani, & in Catalogo Classico Draudii, & è Pontificiis in Bibliothecâ Sacrâ Sixti Senensis, nec non in apparatu Possævini videri possunt. Quibus adde Catalogum interpretum Scripturæ in Bibliothecâ Bodlejanâ, Oxonii editum à Jamesiis, auctum Anno 1635. plerosque Antiquiores & Recentiores Interpp: completentem. Visum fuit potiores heic pro

producere, non ut comparentur  
 præcisè omnes, sed ut emergentibus  
 difficultatibus constet, quinam adi-  
 ri possint, utque unus aut alter ex  
 his seligatur, ex quo si Observatio-  
 nes in loca difficiliora colligantur,  
 insignis *Thesaurus Biblicus* habebitur.  
 Id tamen observandum, ut ante o-  
 mnia *Orthodoxi* primùm consulantur  
 semper; præsertim in *Didacticis*  
 locis, quæ *Adversarii* plerumque cor-  
 rumpunt. In *Historicis*, *Chronolo-*  
*gicis*, *Topographicis*, & similibus hi tutiùs  
 adiri possunt.

XI. E Patribus Explica-  
 tiones plerique Interpp: Neote-  
 rici conjungunt; sed præstat eos-  
 dem adire, ubi licet, & in prom-  
 ptu sunt.

*Patrum*  
*Commen-*  
*tarii.*

Potiores autem Commentatores  
 sunt in *Pentateuchum* *Remigius*, in *Ge-*  
*nesin* *Origenes* & *Theodoretus*, & ex par-  
 te *Basilii*, & *Ambrosii*. In *Exodum* *Ori-*  
*genes*, *Procopius* & *Bedæ*, In *Leviticum*  
*Theodoretus*, *Hesychius* & *Radulphus*.

In Numeros & Deuteronomion *Ambrosius, Procopius & Beda*. In *Josiam & Judices Origenes*. In Ruth, Libros Samuelis & Chronic. *Theodoretus*; In Regum libros *Procopius, Angelomus, & Eucherius*. In Esram & Nehemiam *Beda*. In Jobum *Augustinus, Gregorius, & Beda*, ut & *Catena Græcorum Patrum*. In Psalmos *Augustinus, Hieronymus, Gregorius & Beda*, ut & *Catena Græca, & Arnobius Junior*, itemque *Prosper Aquitan*. In Psalmos L postremos in Proverb. Ecclesiastic. & Canticum, *Honorius Augustodunens*. In Proverbia, & Ecclesiasten *Salonius*. In Proverbia *Beda*. In Ecclesiasten *Hieronymus, & Olympiodorus*, ut & *Gregor. Thaumaturg*: In Canticum *Origenes, Theodoretus: Philo Carpath. Justus Orgelit: Mich. Psellus, Bernhardus &c.* In Prophetas *Hieronymus, Theodoretus & Theophylactus*, ut & *Remigius Antisiodor*. In Esaiam speciatim *Ambrosius*. In Matthæum *Hilarius & Hieronymus, & Paschasius Ratbertus*. In Marcum *Hieronymus, Victor Antiochenus, Beda & Euthymius*. In Lucam *Beda*  
*Euthy-*

*Euthymius & Ambrosius*, ut & *Titus Boftuensis*. Extat & in *Lucam Cate-  
na 65. Patrum Græcorum Balthasaris  
Corderii Jesuitæ Latinâ. In Johan-  
nem Cyrillus Alexandr. & Euthymius.*  
Item *Catena Græcorum Patrum Græ-  
co-Latina Corderii.* Item *Commentar.  
Christiani Druthmari in Matth. Luc.  
& Johannem: Theophilus Antiochenus  
in 4. Evangel. In Acta Chrysostomus,  
Beda, Oecumenius, Theophylactus.* In  
*Epistolas Paulinas Theodoretus, Chry-  
sostomus & Theophylactus: itemque  
Celsius Sedulius, Primasius & Beda, Pho-  
tius & Oecumenius, & Remigius Rhe-  
mensis &c.* In *Epistolam ad Roma-  
nos Origenes. Ad Galatas, Ephesios,  
Titum, & Philemonem Hieronymus.*  
*Ad Galatas Augustinus & Claudius Alti-  
siodorens.* *Ad Ebræos Cyrillus & He-  
lychius; ut & Constantinus Presbyter  
Antiochenus.* Plura de Commenta-  
toribus in *Epistolas Paulinas* legan-  
tur in *Præfatione nostrâ ad Lecto-  
rem præmissâ Orthotomiz Apostolicæ  
Dn. D. Job. Cluveri.* In *Epistolas  
Canonicas Didymus Alexandrinus.* In  
*Apocalypsin Victor Pictabion. Andreas*

## 234 De Studio Exegetico.

Casariensis, Areta, Primasius, Beda  
 Oecumenius, Ambrosius Ansbertus &  
 Anshelmus &c. E quibus præcellunt  
 in Vet. Testam. Theodoretus, & in pri-  
 mis Hieronymus in Prophetas. In  
 Nov. verò Chrysostomus, Oecumenius  
 & Theophylactus. Plures Interpretes  
 vid. apud Sixt. Senens. Bibl. Sanctæ  
 pag. 393. Catalogo peculiari. At-  
 que hæc de Studio Exe-  
 getico.



CAPUT



## CAPUT III.

De

STUDIO THEO-  
LOGIÆ DIDAC-  
TICO.

AD hoc Studium referimus *De Locis*  
 ea, quæ ad LL. CC. cogni- *Communi-*  
 tionem spectant, tum Synopti- *nib. Sy-*  
 cam, tum accuratiorem. *nopticis:*

Ista habetur in Libris Cate-  
 cheticis vel Institutionibus Theo-  
 logicis, quibus non tantum sum-  
 ma Articulorum Fidei proponi-  
 tur, sed etiam fundamenta Pro-  
 bationis & Confutationis è Scri-  
 pturis SS. traduntur.

Hæc verò è plenioribus Sy- *Accura-*  
 stematibus vel pertractatione LL. *tioribus:*  
 CC. ex professo instituta, vel e-  
 tiam è peculiaribus Tractatibus  
 circa hunc vel illum Articulum  
 speciatim occupatis.

Cum multa de hoc Studio dici possint, saltem potiora Methodum ejus concernentia reducimus ad Theologiam *Catechetica*m & *Systematicam*, quarum illa rudioribus inservit, hanc iis, qui sua fundamenta jecerunt, & ad majorem feruntur perfectionem. Ubi Systemata pleniora intelligimus, non autem Compendia tantum quaedam succincta, quae à Catechismo vix nisi ratione Methodi differunt; quandoquidem *Catechesis* absolvatur consuetis quinque capitibus juxta Catechismum *B. Lutheri minorem*, ad quae etiam commodè referri possunt omnia. At *Epitome* alia quavis vel succinctum *L. L. C. C. Syntagma* persequi magis solet capita fidei juxta *Methodum naturae Theologiae* convenientem, prout ea ab aliis habetur pro *Theoreticâ*, ab aliis pro *Practicâ* Disciplina.

## CANONES.

*Necessitas* I. Theologiae Studio sum-  
*Studii Didactici.* mopere necessarium est Studium  
 Didacticae Theologiae.

De hac necessitate non est, quod multis dicamus, quandoquidem nemini eadem obscura esse queat: cum enim omnes etiam Christiani eam debeant articulorum fidei habere Notitiam, ut cuilibet poscenti rationem reddere possint *1. Pet. 3. 15.* quanto magis Studiosis Theologiæ incumbet necessitas Systema fidei & Doctrinæ Christianæ probè cognitum habere, utpote quam aliis tradere ac proponere deinceps debent. Atque hinc requiritur à Candidato *ut sit potens exhortari in Doctrinâ Domini Tit. 1. 9.*

II. Ediscendæ autem ante omnia *Instit. Catechet. e-*  
 venient Institutiones quædã Catechetica, ita ut non solum *discendæ.*  
 capita Theologiæ probè comprehendantur; sed etiam dicta Classica Scripturæ unumquodque Dogma fidei confirmantia memoriâ teneantur.

*Catechesin B. Lutheri* heic præsupponimus, quem ad unguem quemvis tenere oportet. Ut autem de sensu simul ejus constet recondito, si-

mul & de fundamentis ejusdem Bi-  
 blicis quoad omnia capita consulent  
 Studiis suis rectissimè, qui è Tyroni-  
 bus *Catechesin Dantiscanam* diligenter  
 volvent, & memoriæ infigent primùm  
 minorem, fidelissimè resolventem  
 auream *Catechesin B. LUTHERI*, om-  
 niaque ad usum nervosè transferen-  
 tem ac dictis *Scripturæ classicis* con-  
 firmantem, quâ perceptâ deinde è *ma-  
 jori Catechesi Dantiscanâ* *Scripturæ* Di-  
 cta cætera expressè posita simul edi-  
 scenda, cum præceptis in minori fortè  
 prætermisis. Unde cognitio acqui-  
 ri potest, quæ & ad sublimes progres-  
 sus faciendos utilissima futura est, &  
 toti vitæ Christianæ saluberrimè in-  
 serviat, cum non modò *brevem Cre-  
 dendorum Epitomen*, sed & *parva Bi-  
 blia* hîc simul habeat, quod grato ar-  
 gnoscent animò, quicumque huic con-  
 silio morem gerent. Qui paulò  
 pleniorẽ deductionem horum loco-  
 rum desiderant, eam è *Catech. Diete-  
 rici*, ut & *Catechismo Schröderi* habe-  
 bunt, *Systematicum* verò *Compendium  
 ad Naturam Theologiæ*, quæ *Practica* est  
*Disciplina*, concinnatum fortè brevi

exhibebitur *Institutionum Theologicarum Systemate*. In quò præter accuratiorè Methodum haut prætermittentur *capita*, quæ à multis omitti solent, *Lociq; Doctrina*, nec negligentur *quæstiones Controversæ novæ cum Syncretistis*, accommodanda deniq; erunt omnia ad præsentem Ecclesiæ facièm, ut & integri habeantur LL. CC. nec prolixius quàm par est, nec etiam nimis concisè & obscurè tradantur. Utilem in *Catechetica*, quæ vocatur, *Theologiâ* navarunt è nostris operam *Dn. Chemnitius* in *Enchiridio*, *Hethusius* in *Examine Theologico*, *Heerbrandus* in *Compendio*, *Hafenrefferus* in *Locis Theologicis*, *Menzerus* in *Repetitione Chemnitianâ*, *Hutterus* in *Compendio LL. CC.* quod notis illustravit *Dn. D. Cundisius*. Quorsum etiam spectat *Synopsis LL. Theologicorû Finckii*, & cum primis *Epitome Credendorum* *Dn. D. Nic. Hunnii*, è quibus vel unum elegisse suffecerit. *Epitome Theologiae Calixti* ob multos, quibus scatet, errores Tyronibus cavenda est, de quâ *judiciosissimus Theologus Dn. D. Mentzerus* jam olim ita censuit, *opus habere*

*De Epit.  
Theolog.  
Calixti.*

accuratâ librâ librum istum, si recipi debeat, vestigia in eo apparere errorum hautquâquam levium, multa ad palatum Papistarum dici, quæ probari cordatis Theologis non possint, admisceri etiam quædam Calvinianis non ingrata, de Sacramentis quoque ita eum loqui, ut placere Calvinistis queat, nonnulla pios animos offendere: denique plurimas occurrere sententias sanæ verborum formæ hautquâquam consentientes, omnino corrigendas: Vid. Epist. Dn. Menzer. ad D. Wideburg. in Præfat. Dialys. Apolog. problem. Calixtini D. Hülsemani pag. 101.

De Systeme Librorum Symbolicorum.

III. Evolvendum insuper Systema præcipuorum Librorum Symbolicorum Ecclesiæ nostræ integrum, nec non Commentaria succincta, quæ ad eorum Explicationem & Confirmationem faciunt.

Talia symbolica scripta comprehensa sunt in *Libro Concordiæ*, cujus Epitomen edidit Job. Kromajerus, ceu sunt tria Symbola Oecumenica, Augustana item Confessio invariata, ejusdem Apologia

logia, Articuli Smalcaldici, Catech-  
 uterq; B. Lutheri, Epitome Form. Con-  
 cord. in specie sic dictæ & brevis ejus-  
 dem Repetitio. Hi Libri ideò sunt per-  
 volvendi sedulò (hâc præsertim ætate,  
 quâ Novatores sub Schemate ac vesti-  
 tu Lutherani nominis nimium quan-  
 tum à Libris Symbolicis Ecclesiæ diva-  
 ricantur, Galixtus præcipuè cum Com-  
 plicibus Regiomontanis Mich. Behmio,  
 Christian. Drejero & Latermanno) quod  
 Symbolicam Auctoritatem obtineant  
 in Ecclesiis nostris, publicamq; earum  
 Doctrinam proponant, & cum primis  
 August. Confessio, cujus explicatio ha-  
 betur, quoad puncta nonnulla in Form.  
 Concord. publicâ Authoritate edita.  
 In August. Confessionem legatur Exe-  
 gesis B. Menzeri & Disput. Lobeckii, My-  
 lii & Winckelmanni, conjungi etiam pos-  
 sunt Disput. nostræ in August. Confess.  
 ob recentiores Adversarios Rostochii  
 habitæ, editæq; Anno 1636. In Artic-  
 los Smalcaldicos legantur Disput. Bal-  
 duini, in Form. Concordiæ Diss. Gesneri,  
 & in primis lectu dignissima est B. Hüt-  
 terei Explicatio Form. Conc.

*Systema-  
ta plenio-  
ra LL.  
CC.*

IV. Post Evolutionem Systematum minorum & Librorum Symbolicorum, quibus datur ulterius progredi, ad Systemata LL.CC. pleniora accedendum est.

Qualia habentur ab Orthodoxis non pauca edita, & imprimis *Thesaurus* è Scriptis B. LUTHERI collectus *Timothei Kirchneri, Loci Commun. Philippi & Commentaria in eosdem*, in quibus præ aliis evolutionem Studiofissimam merentur LL. Theologici Dn. D. Chemnitii, qui in succum & sanguinem convertendi sunt, ut & Loci Theologici Dn. D. Hütteri. Post Chemnitianam lectionem instar omnium ferè esse poterit (exceptis tamen Remonstrantium & Novatorum Syncretistarum controversiis, ut & pleniori Socinianorum, Elencho, quæ aliunde suppleri oportebit) Dn. D. Gerhardus, si addantur imprimis *Exegesis Tom. I. & Disputationes Isagogica*, nec non duo *Volumina Disputationum ejusdem separatarum Jenæ habitarum*; aliquantò succinctius, sed ob plurium Controversiarum copiam non ingratum. *Syn-*  
*tagma*



*Synagma Theologicum per Definitiones, Causas & Affectiones locos Theologicos* ita persequens, ut Controversiæ cum Hæreticis non tam Veteribus quàm recentioribus, (istis tamen minimè prætermisissis) ut & *Novatoribus, Schismaticis, Syncretistis Calixtinis*, & id genus aliis fideliter quæquæ suo loco evolvantur, ad *Theologiam Didacticam* apprimè facturum videtur. Quo fine τὸν Θεὸν πάλαι tale aggressi *Synagma, Prolegomena* cùm *Parte generali Theologicarum Institutionum* ante biennium Ecclesiæ exhibuimus, ut & nuper *Librum primum de DEO & Fruitione DEI*, quo ea, quæ de *Naturali DEI Notitia, Nominibus, Attributis divinis in genere, & in specie, de Personis item S.S. Trinitatis, & Actionibus divinis*, ac cumprimis *de Perductione Hominis ad æternam Beatitudinem* in *Didacticâ Θεολογία* tradenda, persequuti sumus, consimili modò brevi, cum Deo, integrum *Systema Locorum Theologicorum* exhibituri. Succinctam *Controversiarum Fidei Διατύπωσιν* sistit *Breviarium Dn. D. Hülsem. nostri extensum*: quo non pauca ab aliis in *Systema-*

stematibus præeritæ Quæstiones strictim expediuntur.

*Tractatus  
Particu-  
lares.*

V. Non negligendi verò particulares Tractatus, qui plerumque paulò accuratius themata proposita persequi solent.

Tales plurimi extant diligentissimè nonnunquam hos vel illos Articulos pertractantes. Juvat quosdam ordine producere. De *Theologia Naturâ* post alios diligenter egit *Dn. D. Meisnerus* peculiaribus Dissertationibus, ut & *Dn. D. Myslenta*, cum quibus etiam nostras commentationes, huic tractatui præmissas cõferre, qui volent, poterunt, ut & *Prolegomena Instit. Theologicarum*. Egit de illâ etiam *Franciscus Junius* Reform. De *Scripturâ S.* sedulo agit *Dn. Gerhardus* in Exegesi, quem secutus est *D. Hornejus*: confer. & *Dn. Schröderus*, de *Principio Theologiae*; & *D. Großhein* in *Janitore Theologico*. Plerasque Controversias tum in *Proleg. Instit. Theol.* tum in *Tom. I. super August. Confess.* expedivimus.

*De Deo.*

De *Cognitione DEI Naturali* egit *Dn. D. Nicol. Hunnius*, in *Exam. Error. Photin.*

Photin. D. Jacob. Martini im Vernunft-  
 spiegel / quam Materiam quoque ex  
 professo persecuti sumus Tom. II. su-  
 per August. Cōfess. quō cum conferen-  
 dus *Liber primus Instit. Theolog. De Dei  
 nominibus & Attributis* egit cum primis  
 Dn. D. Gerhardus in Exegesi, ad quorum  
 supplementū facient, quæ *Lib. I. Instit.  
 Theolog.* tradimus. De *Nominibus* egit etiā  
 Dn. D. Waltherus in Specilegio & Dn. D.  
 Nicol. Hunnius in Exam. Err. Photin.  
 Nos prolixè in Tom. II. super August  
 Confess. ὀνοματολογίαν divinam quoad  
 Ebraea & Græca nomina tractamus. De  
 Personis S. S. Trinitatis egit Dn. D. Ger-  
 hardus in Exegesi, extatque Collegium  
 S. S. Trinitatis D. Balduini, ut & DN.  
 Jac. Martini de tribus Elohim: Confe-  
 ratur & Exam. Librorum Crellii in Theo-  
 logiā nostrā Naturali & Revelatā, do-  
 nec ἀποδείξις cum DEO prodeat Arti-  
 culi hujus fundamentalis, omniumq;  
 eminentissimi. D. Hornejus quædā etiā  
 habet in Tractatū de Trinitate, sed post-  
 habitis magis necessariis occupatur in-  
 primis in *terminorum Scholasticā expo-  
 sitione*; de quibus non inutiliter, uti  
 spero legentur, quæ in *Parasceve Crell-*

*lianâ vel Dissertationibus Theolog. Rô-  
stoch dicta sunt. De S. S. Trinitate in:  
V. T. creditâ egit inprimis Dn. D. Jacob.  
Wellerus in Wegweiser/ & Scriptis an-  
ti-Calixt. Dn. D. Hülseman. in Dialys. A-  
polog. D. Haberforn in Syntagmate: Cõ-  
fer. & Assert. nostrâ plural. person. è V. T.*

*De Statu  
Hominis.*

*De Statu Hominis diverso egit,  
Dn. D. Meisnerus in Anthropologiâ S.  
Dn. D. Nicol. Hunnius in Exam. Err:  
Phot. qvo de prolixè itidem tractavi-  
mus in Germanicâ Confutatione So-  
cinismi. De imagine DEI differuit  
peculiari tractatu Dn. D. Zaemannus, ut  
& de Paradiso. Egit etiam de imagine  
DEI D. Derschovius, & D. VValtberus in  
Spongiâ Mosaicâ. De Peccatõ & Cau-  
sâ peccati tractârunt Dn. D. Jac. Mart.  
& Schaffmannus. De Peccato in Spi-  
ritum S. D. Fewrbornius tractat. pecu-  
liar. &c.*

*De Chri-  
sto:*

*De CHRISTO cum primis le-  
gendus D. Chemnitii libellus de dua-  
bus Naturis in Christo, D. Job. Mat-  
thæi de unione personali, D. Salom.  
Gefnerus De Personâ Christi, D. Men-  
zerus in Anti-Sadaële & Anti-Marti-  
nio, Dn. Lalius de Personâ Christi, ut &  
Christo-*

*Christologia* D. Meisneri, & *Christosophia* D. Danhaweri, nec non *Christognosia* D. Stegmanni, & Θεολογία nostra Anti-Calviniana vel *Exam. Doctrinae Reform. de Personâ Christi*.  
 De Deitate Christi in V. T. Dn. D. *Jacob. Weller.* im *Wegweiser*, Dn. D. *Hülsemann.* in *Dial. Probl. Calixtini* &c.  
 De *Resurrectione* Christi egit *B. Gerhardus* in *Disput. separatis*. De ejus *Descensu ad Inferos* peculiare *Tractatus* edidit Dn. D. *Cramerus*, & Dn. D. *Eckhardus*, & *Disput. D. Dn. Affelmannus.* De *Personâ Christi* & 7. verbis in *Cruce* *Disputationes* edidit Dn. *Johan. Affelmannus.* De *Morte Christi* *B. Meisnerus* nonnulla habet in *Quæstionibus* vexatis: *Quò & facit Tractatus* noster *Anti-Crellianus de Causis Mortis Christi* & de *Satisfactione Christi* ea, quæ in *Syntagmate Anti-Socin:* prolixè tradita. De *Filio DEI aeterno*, de *Passione*, *Redemptione* & *sessione ad dextram Dei* egit potissimum Dn. D. *Dorscheus* in *Pentadecade* *Disfert.* De plerisq; ad *Doctrinam de Personâ, Officio, Statibus Christi* spectantibus egit Dn. D. *Fewrbornius* in fasciculo *Disp.*  
 De

De *Pane Vita* prostant Disp. Dn. D. Balduini &c.

De *Justi-  
ficat. Con-  
versione.*

De *Justificatione* D. Battus & cum-primis D. Henricus Höpffnerus contra Maijerum diligenter egit. De *Perserverantia Sanctorum* habentur Disput. Dn. D. Menzeri. De *Pœnitentiâ* extat Tract. Eckardi. De *Prædestinatione* Disp. edidit D. Polycarp. Lyserus Junior, ac Tractatum peculiarem D. Daniel Cramerus. De *auxiliis gratiæ* extant disert. Scholast. Dn. E. Hülsemanni. De *Decalogo* Disputat. D. Thummii & Dannhaweri, de *distinctione Decalogi* tract. D. Cramerii; De *impletione Legis* tractatus Wilhelm. Nigrini, de *Sacramentis* Mysteriologia D. Dieterici & Mysteriosophia D. Dannhaweri.

Decalogo

De *Sacra-  
mentis.*

De *Baptismo & Eucharistiâ* D. David Chytraeus. De *Baptismo* disputat. D. Affelman. & Dn. D. Clotzii. De *Sacramento Eucharistiæ* tractatus *Theorico-Præcticus* Dn. D. Henr. Höpffneri, De *Cœna Domini* disputat. Affelmanni, ut & consideratio declarationis Zvingeri à D. Dorschéo expedita, ac Stereoma nostrum de *verbis Christi* contra Belgium.

De *Eccl-*

De Ecclesia D. Meisner. ut & Stegman. de Ecclesia Viatorum. De Ministerio Ecclesiastico D. Paul. Tarnovius, de Ministerio Lutheri D. Nic. Hunnius, ut & Lutherthumb Kesleri. De Conciliis Gesnerus: de Canonicis & Jure Canonico, ut & Scholast. D. Himmel. De Academiis protestant disp. Giesfenii, De Excommunicatione D. Balduin. & de Elencho D. Kraefewig. De Antichristo D. Phil. Nicolai, & D. Balduini, ut & Anti-Christosophia D. Dannhaeperi. De Turca Gesner. in 12. disput. Theolog. De Legibus D. Meisner. tract. peculiari. De Conjugio D. Paul. Tarnovius. De novissimis & extremo judicio D. Calixtus. Solent & inaugurales disputationes paulò diligentius elaborari, adeoq; nec illæ negligendæ. Multa denique è disputat. selectis D. Gisberti Voëti utilia seligi possunt, tametsi ille ceu Calvinianus cum judicio legendus sit. Quinam ex veteribus & Pontificiis Doctoribus in singulas materias inquiri & legi possint, constabit ex Johannis Nolani Bibliothecâ materialium adjectoq; Catalogo Scholasticorum Theologorum in Summam Thomæ, Colonæ An. 1618. in 4to.

Quomodo  
Legenda  
Didacti-  
ca.

VI. Ut fructu majori le-  
gantur Didactica utile est, ea quæ  
observantur, consignare & ad cer-  
tos titulos referre

Quod fieri poterit, si vel ad *librum*  
*Systematicum*, quem præ aliis notis fa-  
miliarem reddimus, ea adscribantur,  
vel etiam *peculiare Volumen* compingatur  
*juxta seriem LL. CC. Theologicorum*,  
ut cum observantur quædam singularia  
tüm autores qui habent, tum etiam res  
ipsæ annotentur, sive remittendò ad  
autores, sive ex illis quædam describen-  
do & in librum istum referendo. Ob-  
servandum autem, in ejusmodi librum  
Didactica Theologiæ consecratum sal-  
tem notanda esse, quæ ad *Terminorum*  
*Theologicorum explanationem*, ad *distin-*  
*ctiones Theologicas*, ad *definitiones, caus-*  
*sas, appellationes, affectiones, cognatas,*  
*opposita, divisiones* spectant, *regulas* item  
& *Axiomata*; & *Controversiarum* deli-  
gnationem solum nudam heic locum  
habere, non autem pertractationem  
earundem; quippe quæ ad Studium re-  
servatur *Polemicum*. Quamquam con-  
ferri etiam possint *Systemata Adversa-*  
*riorum*



*riorum*, ac Scripta ipsorum Didactica  
 peculiaria v. g. *Reformatorum, Pontifi-*  
*ciorum* &c. non tamen tutò enotan-  
 tur ex illis terminorum explicationes,  
 distinctiones, regulæ &c. cum soleant  
 τῆν ὑποθέσιν ἀκλῆσειν, & errores suos  
 incrustare, idq; etiam quandoq; aliud  
 agendo. Summâ igitur heic *cautelâ*  
 opus est, & præstat intermittere eo-  
 rum collationem, quàm cum pericu-  
 lo erroris in iis versari, præprimis quia  
 sufficientissimè, quæ ad Didacticam  
 Theologiam faciunt; ipsimet Ortho-  
 doxi tradidere: si tamen è lectione  
 aliorum quandoque nonnulla etiam  
 observentur, addendi sunt auctores  
 vel instituendum eorum è Scripturis  
 examen, ut omnia probentur, & quæ  
 bona sunt retineantur.

*Thess. 5. 21.*

15 ( ) 30



## CAPUT IV.

De

## STUDIO THEOLOGICÆ POLEMICÆ.

*Studium Polemicum.*

**S**Tudium Polemicum occupatur in Controversiis Theologicis accuratiùs expediendis, quàm tum conjunctim spectantur, tum seorsim. Conjunctim, prout illæ ad Systema Theologiæ revocantur; seorsim, quæ eadem secundum sectas expenduntur, ad quas spectant.

Prior consideratio in Theologia Didactica, vel Systemate LL. CC. ferè expeditur, posterior propria est hujus loci.

*Controvers. cōmunes vel Propria.*

Controversiæ autem cum sectis variis agitatae aliæ sunt communes, quæ cum pluribus disceptantur; aliæ propriæ, quæ cum certâ hæresi aut Sectâ intercedunt.

Conspi-

Conspirant enim in quibusdam  
 diversæ Sectæ v. g. Calviniani & Pontifi-  
 cii in negandâ *Communicatione Idio-*  
*matum*, Pontificii & Sociniani in asse-  
 rendâ *justitiâ operum*, & *impletione le-*  
*gis* &c. Unde collatio potest institui  
 inter Sectas alioquin diversas, ut non  
 tantum absolute quævis expendantur;  
 sed etiam in collatione cum aliis, cum  
 quibus aliquam familiaritatis & con-  
 venientiæ tesseram alunt. Cum au-  
 tem Sectarii & hæretici longè pluri-  
 mi sint, hîc designamus solum *moder-*  
*nos ac Neotericos*, qui adhuc Ecclesiam  
 exercent: Cæterorum enim contro-  
 versæ non tam exquisitè hic pertra-  
 ctandæ, quàm circâ *Historiam Ecclesia-*  
*sticam* solum observandæ veniunt.

Ex his famosiores sunt con-  
 troversæ, quæ intercedunt vel ex-  
 tra Ecclesiam cum Atheis, Paga-  
 nis, Turcis, Judæis, Semi-Judæis:  
 vel in Ecclesia cum Socinianis,  
 Pontificiis, Calvinianis, Armi-  
 nianis, quæ quadriga facilè prin-  
 ceptus est inter hæreses jam exercen-

Controv.  
 famosio-  
 res.

tes Ecclesias ; quibus jungendæ sunt, quæ cum Ne-Arrianis, Anabaptistis, Weigelianis, Schvencfeldianis, Novellis Prophetis, & Enthusiastis, ut & quæ cum Synergistis, Antinomis, Majoristis & Syncretistis, quos nonnulli Pseudo-Moderatores vocant, intercedunt.

Sunt & aliæ, quæ scilicet agitæ sunt contra *Puccium*, *Servetianos*, *Osiandristas*, *Stancaristas*, *Interimistas*, *Adiaphoristas*, *Flacianos*, *Huberianos*, *Hoffmannianos* &c. Sed quæ nunc non adeò turbant Ecclesiam, nisi quod *Interimistica* nonnullæ controversiæ à *Novatoribus* revocentur, & postliminò in Ecclesiam reducantur. De Controversiis *Græcorum* videtur solum agendum in *Historiâ Ecclesiasticâ*, ut & de *Anglicanis*, *Puritanicis*, ut & *Brownisticis* seu *Separatisticis*, nec non de *Scoticis*, de quibus Vid. *Gisbert. Voët.* lib. 2. de Exerc. & Biblioth. Stud. Theol. p. 588.

## CANONES.

I. In Studio Polemico præstat cognitis generatim è Didactica Theologiâ controversiis, unamquamque sectam vel hæresin in specie sub Examen revocare.

*Qualibet hæresis in Specie examinanda seorsim.*

Ut scilicet speciatim ac seorsim, Calvinismus, v. gr. vel Photinismus expendatur. Sic enim non solum accuratius singula discutientur, sed & *ἁπλοῦς* *ἰσθῶς* errorum & origo & dependentia mutua, & concatenatio eorundem, adeoq; totum Systema illius sectæ cognoscetur. Ad illam verò indagationem fecerit, si *ἅμα* libelli ab Orthodoxis adornati sectas ejusmodi confutantes pervolvantur, tum etiam *Syntagmata distincta* adornentur, quorum censerem octo ad minimum esse compingenda, in quæ referri possunt omnia, quæcunq; ad hoc *Studium Polemicum* spectant. Unum ad *Controversias* cum illis, qui *extra Ecclesiam* constituti sunt pertractandas, quarum Sectiones distinctæ.

*Prima adver-*

adversus *Atheos, Epicureos & Scepticos*.  
*Alteram* adversus *Gentiles & Paganos*.  
*Tertia*, Adversus *Turcas & Mahometanos*;  
*Quarta* adversus *Judeos*. *Quinta*  
 adversus *Semi-Judeos*. *Alterum* ad  
 Controversias cum *Socinianis*, ad quas  
 etiã referri vel per modum appendicis  
 revocari possunt controversiæ cum *Ner-*  
*Arrianis*, aliisque *Antitrinitariis*, ut &  
 cum *Triunitis* agitatae, nec non cum  
*Servetianis*. *Tertium* ad Controversias  
 cum *Pontificiis*, quorsum & revocandi  
 sunt *Rapizantes*. *Quartum* ad Con-  
 troversias cum *Calvinianis & Calviniz-*  
*antibus*. *Quintum* ad Controversias  
 cum *Remonstrantibus* seu *Arminianis*.  
*Sextum* ad Controversias cum *Anaba-*  
*ptistis*. *Septimum* ad Controversias cum  
*Weigelianis*, *Svencfeldianis*, *Paracelsi-*  
*stis*, *Novellis Prophetis* & id genus aliis  
*Enthusiasticis*, quorsum etiam spectat con-  
 troversia de *visionibus modernis*. *Octa-*  
*vum* ad controversias cum *Novatoribus*,  
 quod his constabit sectionibus. 1. Con-  
 tra *Antinomos*. 2. *Synergistas*. 3. *Majo-*  
*ristas*. 4. *Syncretistas* *Caslandrico-Ca-*  
*lixinos* sub *moderatorum* titulo Eccle-  
 siam turbantes. Si quis verò compendio  
 uti

uti velit, is poterit aliorum Scripta adhibere, ut ad ea revocet, quæ occurrunt. v.g. ut ad *Photinianismū Stegmanni* controversias Photinianas, quas deprehendit, & quæ eò faciunt in aliis observata Autoribus reducat, vel, quod commodius futurū, ad Syntagma nostrum *AntiSocinianum* in hac Academia propositum, quippe quod longè plures controversias, adeoque plerasque omnes exequitur debitā methodo confutationi Socinianismi accommodatum. Nec verò ab *omnibus* omnino Studiosis requirimus ejusmodi *Syntagmata*, sed quibus accuratiora divinitus concessa ingenia, quique aliquid sublime aliquando præstare cum DEO & die volunt in Ecclesiā, contra Antagonistas.

Monemus insuper, ne *prolixè nimis* pertractandæ suscipiantur Controversiæ; sed succinctā, quoad fieri potest, brevitate, ut scilicet *Statu Controversiæ constituto, thesi & Antithesi* cum *Autoribus* eam propugnantibus assignatā, *argumenta*, quæ pro *confutanda Antithesi*, adduci possunt, com-

*Quomodo tractanda controversia.*

pendiō annotentur, & ad Auctores, à quibus hæc vel illa argumenta fu-  
 sius pertractantur, remissio instituat. *Objectiones* pariter & *exceptiones* non  
 tam plene circa quasvis controver-  
 sias expediendæ, quàm solùm annotan-  
 dæ, ut observetur penes quosnam au-  
 tores resolutæ sint. Nam omnia per-  
 sequi ex professo infiniti esset laboris.  
 Deniqve in *dictis Scripturæ cum primis*  
 occupari fas est, cum adversus *hereti-*  
*cos*, aut etiam *Judeos* agitur, ut quæ  
*contra* illos è Scripturis verè adferri  
 possunt, quæqve illi pro se in *speciem*  
 aut *falsò* adferunt, observentur, deqve  
 illorum vindiciis solliciti simus, quòd  
 studium longè utilius est, longèqve  
 Θεολογικώτερον, quàm si *argutiis ratio-*  
*nis*, aut *testimoniis humanis* variis discuti-  
 endis, vel etiam accumulandis ope-  
 ram locemus.

Ceterùm quod ad *cognitionem*  
 attinet sectarum inter sese mutuò, per-  
 net illa ad uniuscujusq; Sectæ confide-  
 rationem, ubi sub peculiari titulo, si  
 quæ occurrit in aliis affinitas, expen-  
 denda.



II. Controversiæ cum illis, qui in Ecclesiâ constituti sunt, agitatae hæreticis, expediendæ prius videntur, & inter has omnium primò Papistica.

Hæ enim sunt *communiores*, uti Papismus sese per totum orbem diffundit latisimè, nec adeò *difficiles* sunt, si comparentur cum aliis, ut ut majorem, ob prolixitatem hujus studii ac amplitudinem, industriam requirant. Ad eas conducent sequentia. I. *πρῶτον* *Ἰεῦδθ* *Papismi* sedulo observetur & eruatur, & quomodo reliqui errores pleriqve suam inde originem habeant, nimirum *Rom. Pontificis imaginaria infallibilitas*; prout id e perlustratione Synopseos alicujus Papismi facile haberi poterit.

II. Tùm evolvatur unus atqve alter, qui succinctè plerasq; Controversias Papisticas pertractavit, quales sunt è nostris *B. Chemnitius* in *Theologia Jesuitarum*, *Osiander* in *Enchirid. Controvers. Pontificiar.* *Pelargus* in novo *Jesuitismo*, *Eckardus* in *Pandectis*, *Giesenius* in *Papismo*, ut & *Himmelius*,  
quor;

quorum etiam facit *Mataologia nostra Papistica*; quâ persequimur errores Pontificios omnibus communes, juxtâ ductum *propositionum Romano-Catholicorum* in Colloquio Thoruniensi; Nec prætereundus hîc eximius tractatus Germ: *Dn. D.N. Hunnii* sub titulo *Pellus Ovina*, vel etiam Scriptura loquens *Lælii &c.*

III. Accedatur ad accuratiorem Controversiarum Papisticarum considerationem, quæ quâ *Concilii Tridentini Canones*, & veterum Sententias solidè discussæ sunt in *Exam: Concil. Trident. Chemnitii & Apologiâ Confess. Würtembergens. Johan. Brentii*, Quibus etiam *Papatus A catholicus Heibrunneri* addendus. Nec non 600. errores Papistici *Heshusii*, ut & *Lucus succifus Placi &c.* Universam verò turbam præcipuorum Papatus propugnatorum non infeliciter in plerisque profligavit *Dan. Chamier* in *Panstratiâ Catholica*. Si quis *Bellarmini* desiderat *Examen*, suscepere id *D. Gerhardus & D. Fröreisenius*, è nostris, ut & è *Reformatis Francisc. Junius*, nec non

non *Amesius* in Bellarmino enervato, itemqve *Conr. Vorstius* in Anti-Bellarmino contracto. *Becanum* refutavit *D. Jacob. Martini*, & *D. Meyfartus*, ut & è Reformatis *Joh. Crocius*; *Costero* se opposuit *D. Graverus* & *Maysartus*, Majero *D. Himmelius*, *Lesii* consultationi contrariam opposuit *D. Meisnerus*, qui etiam muros *Babylonicos Reyhingi* destruxit. Adversus *Hagerum* August. Confessionem eximie defendit *Dn. D. Hülfemannus*. *Christiani Wilhelmi* Marchionis Brandenburg. Speculo veritatis papistico lucernam Prophetici sermonis. opposuit *Dn. D. Brochmandus* (eamq; postmodum defendit) quam etiam refutavit *D. Melch. Nicolai*; *Helfrici Ulrici Hunnii* Apostatae argumenta profligavit in orthodoxâ fidei vindicatione. *D. Petr. Haberkorn*; *Jansenium* solide refellit *Dn. D. Joban. Müllerus*; *Besoldum* Apostatam confutavit *D. Tobias Wagnerus*, *Kircherum* devium in viam reducere satagit *Hodogetico* suo *Dn. D. Dorscheus*, adversus quem etiam disputationes publicas habuimus in *Acad. Regiomontana*. *Pistorio* abundè satisfecit *Menzerus*.

Adver-

Adversus *Bailium* eruditè scripsit in suo Catholico Orthodoxo *Rivetus*. Lentionem etiam merentur *Tomii Rupellenses*, & desperata causa *Papatus Votii* contra *Jansenium* &c.

*Speciales*  
*Controv.*  
*Pontific.*  
*discussio-*  
*nes.*

*De Script.*  
*Sacr.*

*De Eccle-*  
*siâ.*

IV. *Speciales* Controversiarum quarundam Pontificiarum discussiones minime sunt negligendæ, è quibus in Articulo de Scriptura S. consulatur, *Dn. D. Ægid. Hunnius*, *D. Gerbardus*, *Hornejus*, *Grosshain* & *Tomus noster I. super August. Confess. & è Reform. Witakerus*, *Lubbertus*, & cum primis *Raynoldus*. De Contemptu Scripturæ Papistico scripsit *Wilhelm. Nigrinus*.

De Ecclesiâ, *D. Ægid. Hunnius*, *D. Osiander*, *D. Meisnerus*, *D. Stegmannus*, *Dn. D. Nicol. Hunnius* in pelle ovina, *Dn. D. Mentzerus* im *Catholischen New-Jahr*. *D. Keslerus* im *Vaysthuimb. Vid. & disput. nostræ in August. Conf. E Reformatis Witackerus*, *Lubbertus*, *Carletanus*, *Morneus*, *Usferius*, *Sutlivius*, *Camero*, ut & *Anton. Sadaël* contra *Arturum*. De *Romanæ Ecclesiæ Apostasiâ* speciatim scripsit *Dn. D. Nic. Hunnius*. De *Conciliis* Vid. *Gesnerus*, & *Tom. I. super Aug. Confess. Et è Reformatis*

*Witâ.*

*Witackerus ac Sutlivius. De Monachis, Hospinianus & Sutlivius, & Parallela Monastica Dorschaei. De Pontifice Romano D. Aegid. & Nicol. Hunnius, Witackerus, Lubbertus; Sutlivius, Raynoldi Colloquium cum Haro: De Antichristo prater eos quos supra laudavimus, Vid. Innocentia Lütberan. Dn. D. Nicol. Hunnii; de Ministerio Luthemno idem, & D. Keslerus in Luthertumb.*

*De Imagine DEI, & peccato originis, D. Zaemannus, Wittackerus, Pareus, Willetus. De Libero Arbitrio B. Meisnerus in Anthropologia & Camero. De Justificatione D. Battus, Dn. D. Hannekenius, Patens & Carletanus, & cum primis noster Dn. D. Hopffnerus contra Majerum.*

*De Pecc.  
& justifi.*

*De Missa D. Hütterus & Mornens. De Eucharistia Mortonus & Craftovius. De Purgatorio D. Meisnerus, Thummius; Sutlivius; De Indulgentiis Aegid. Hunnius; cujus vindicias contra Examen Scoppii adornavit Balduinus; ut & D. Meisnerus in Opusculo de Indulgentiis. Adversus merita speciatim scripsit Antidotum Thomas Mortonus &c.*

*De Sacra-  
ment.*

De Anti-  
qvitatis  
testimo-  
niis con-  
tra Papa-  
rum.

V. *Qui Antiquitatis testimonia contra Papatum sistunt & propugnant, vel ab abusibus Pontificiorum vindicant, hi præcipui sunt, Dn. D. Chemnitius noster, in Examine Concilii Tridentini, Iwellus Anglicus, Raynoldus, Chamier in Panstrat. Cathol. Mornæus, in novitate Papismi, Rolanus in Symphonia Catholica, Perkinsus in Catholicismo ementito, ut & M. Anton. de Domin. in de Rep. Eccles. Vid. & Heilbrunneri Papatus Acatholicus, itemq; Dn. D. Gerbardus noster in LL. CC. ubi contra Pontificios disputat. Papatum à testimoniis Conciliorum juxta seriem Bellarmini denudatum exhibuit Dn. Lic. Balb. Rhaw.*

De Con-  
tradictio-  
nibus Pa-  
pistarum.

VI. *Contradictionibus Romanensium & Confutationi eorundem è propriis scriptis & hypothesebus operam navârunt Flacius de Sectis & dissidiis Pontif. Hunnius in Labyrintho Papistico, Osiander in Papa non Papa. Dn. D. Botsaccus in Contradictionibus Pontificiorum, itemq; in defensione Catechismi Dantisani Germani nomine Minister. Gedan. adornatâ: & qui unus est instar omnium Dn. D. Gerbardus*

*hardus* in Confels. Catholicâ. E Re-  
 formatis idem præstitere *Mortonus* in  
 Apologia Catholica, *Th. Jamesius* in  
 bello Papali, quâ controversiam de  
 vulgatâ versione, *Craſtovius* in bello  
 Jesuitico quâ articulum de *Evchari-  
 stia, & Antichristo*. Conferendus hic  
 cum primis *P. Svavis* in Histor. Con-  
 cil. Trident. varias Paterculorum Tri-  
 dentinorum pugnas recensens, ut  
 & è Jesuitis *Vasquezius & Svarezius*,  
 qui frequenter inter se collisiones &  
 mutuas oppugnationes instituunt.  
 quod non absque singulari providentiâ  
 divina factum, ait *Tannerus*, nec imme-  
 ritò; scil. ad conficiendum mutuis pu-  
 gnis Papatum, non verò ad propu-  
 gnandum. Ob Controversias inter  
*Thomistas & Scotistas* legendus *Job. de  
 Rada* &c. Vid. etiam *Reformatio Pa-  
 patus* juxta Confessionem Augustanam  
 quâ proponitur Romanorum Pŏntifi-  
 cum ac Conciliorum consensus cum  
 August. Confes. quæ ex Hizgerianâ  
 Bibliothecâ Anno 1621. prodiit, & ad-  
 datur quoque *Catalogus testium verita-  
 tis Flacii*.

Scripto-  
res Ponti-  
ficii qui-  
nam le-  
gendi?

VII. E Pontificiis scriptoribus ob-  
momentum controversiæ & statum.  
Romanæ Ecclesiæ cognoscendum ad-  
hibenda sunt Scripta publica & cum-  
primis *Concilium Tridentinum*, quod  
ipsis instar omnium esse in *Thoruni-  
ensi Colloquio*, Anno 1645. habito ab-  
undè sumò edocti, quippe quod vel so-  
lùm pro *principio liquidandi doctrinæ*  
*Romano-Catholicæ* Pontificii urgebant,  
uniceqve à nobis ea fini adhibendum  
esse contendebant, nequicquam tùm  
nobis aliis Scriptis Pontificiorum pu-  
blicis eidem adjungi sollicitantibus.  
Prodiit id cùm *declarationibus Cardi-  
nal. ex ultimâ recognitione Gallemar-  
ti & citationibus Sotealli & Horantii*,  
ac *remissionibus Barbose*, Lugduniseui  
addendus etiam *Catechismus Concilii*  
*Tridentini*. Dehinc *Jus Canonicum*,  
*Decretales*, itemqve *Epistole & Decreta*  
*Pontificum ac constitutiones Pontificia*  
*per Quarantam editæ*, ut & *Bullarium*  
*Flavii Cherubini*. Postea etiam *Con-*  
*ciliorũ Tomi*, quoad *Statuta & acta* eo-  
rum Conciliorum, quæ inde à Grego-  
rio VII. celebrata sunt. Adhæc  
*Breviaria Romana, Ritualia, Ceremonia-*  
*lia*



lia, *Rationale divinorum Officiorum Durardi & aliorum, Pontificalia, Episcopalia, Pastoralia, Marialia, Officium B. Mariae antiquum & novum jussu Urbani VIII. editum, Rosaria, Octavarium Gavanti, Antiphonalia, Gradualia, Diurnalia, Passionalia, Processionalia, Liturgie & Litanie, Hymni de tempore & Sanctis, Martyrologia pœnitentiaria Apostolica, ut & Regule & taxæ Cancellarie Apostolicæ, liber indulgentiarum, Opera Innocentii III. & hujusmodi alia Scripta autoritate publicâ conspicua, in Papatu. Quæ etsi sudes in oculis essent Pontificiis, quum principiò liquidandi doctrinam Romano-Catholicam eadem adjiceremus Thorunii, nō possunt tamen ea reprobari, quâ publicè Diplomatis, & autoritate Pontificiâ prodire, ac publicam Ecclesiæ Papalis tota die frequentatam praxin exhibent. Quorsum spectant etiam visiones v. gr. *Brigittæ &c.* ut & *Legenda aurea, Fraternitates, Conformitates Francisci*, item *Psalterium Mariale*, nec non *indices expurgatorii, Romanus, Hispanicus, Neapolitanus, Belgicus & inquisitorum directorie &c.**

Postmodum etiã alii Scriptores Pontificii illustriores cum primis adhiberi possunt: è *Veteribus Alphonsus à Castro adversus hæreses, Stanislaus Hoesius Cardin. Albertus Pighius, Johannes Altenstaig*: in *Lexico Eccius, ut & Judicium Papistarum de August. Confess. quæ in Harmoniâ Fabricii extant. E recentioribus Gregorius de Valentia, Stapletonus Costerus, Tirinus, & cum primis Bellarminus. Quibus tamen Vasquez & Siretz, quorum sumtus ferunt, adjiciuntur itemque Franc. Amicum Consentinum.* Alii recentiores *Gretserus, Tannerus, Becanus, Hagerus, Thom. Henrici, Bailiæus, Mayerus, Coturius, &c.* plerumque statum controversiæ pervertunt. Ob speciales controversias poterunt conferri è tanta authorum Pontific. turba *Stapletonus, Canus, Molina, Bannesius, Medina, Mariana, Vincentius, Bandelus &c.* Sed specialius, qui certas materias pertractarunt earumque causis adhibendi sunt, tum indices aperientium autorum cum primis, qui ab ipsis Pontificiis prodire, *Possevini, Nolani &c.* tum Scripta peculiaria Nostratum *Anti-Papistica* antea notata. Prolixum nimis

nimis operæ foret Catalogum eorum hic texere, pauloqve alienæ. De *Scholasticis* postea dicetur.

III. Controversiæ cùm Re-  
formatis ita tractentur, ut pri-  
marie discernantur à secunda-  
riis, nec intermittatur Exam-  
Syncretismi à plerisque jacti-  
tati.

*De Con-  
troverſiis  
Calvi-  
nian.*

In his etiam (1.) respiciendum ad  
τοῦτων ψεῦδος Calvinianorum, quod  
pro diversa consideratione est vel Sa-  
cramentarius error, de Cœna, prout in  
præfat. Stereom. Anti-Berg: ostensum:  
vel absolutum Predestinationis decre-  
tum, ut Dn. D. Hülsemannus docet in  
*Calvinismo irreconciliabili*. Ex his  
quomodo cœteri errores popullent,  
ante omnia probe cognoscendum.

(2) *Synopticum* quoddam *Compen-  
dium* pervolvendum *Anti-Calvinia-  
num*, qualia sunt *Synopsis Calvinismi*  
*D. Heilbrunneri*, *Enchiridion Ostrandri*,  
*Fasciculus D. Eckardi*, *Calvinismus*  
*Gießemii* vel *Himmellii*, ut & *Dn. Licent.*  
*Khawen Angelus tenebrarum*. Quor-  
sum

sum etiam faciunt *Dn. D. Gerhardi* disputat. de Gloria DEI, ut & libellus *Dn. D. Hoë* von XVII. Artickeln &c. Multas, cum primis Veterum, Calvinianorum sententias congescit *Dn. D. Conradus Schlüsselburg.* in Theol. Calvin.

Precipua  
Controvers.  
Calvin.  
vin:

III. Postmodum exquisitius singulæ indagandæ & pertractandæ veniunt controversiæ, quæ inter Nos & Calvinianos agitantur. Præcipuæ autem sunt de *Persona Christi*, de *Prædestinatione*, de *Baptismo*, & de *Cena Domini*, de quibus præter *Acta Colloq. Mompelg.* & *Apologiam Form. Concord.* legenda sunt scripta *Dnn. Tübingens.* contra *Heidelberg.* nec non *Marpurg.* contra *Casellanos* Scripta dogmatica, *Dn. Philippus Nicolai* contra *Pierium* in *Sieg und Frewdentritt* &c. *Dn. D. Hoë* in scriptis suis *Anti-Calvin.* ut & *Dn. D. Mentzerus*, qui de quatuor illis Articulis peculiariter egit, ut & *Laurentius Lælius* in *Critejo fidei*, *Dn. D. Wellerus* in *Confut. Massonii* plerosque articulos controversos persequitur. *Absurda Calvinistica Philosophico-Theologicè* expedit *Dn. D. Graverus.*

In Specie quoad articulum de *Per- De Perf-  
sona CHRISTI* orthodoxiam accuratè *Christi.*  
contrà Calvinianos propugnarunt  
*Dn. Brentius* & præprimis *Dn. Chemnit.*  
libr. de duabus naturis in CHRISTO:  
nec non *Dn. Mentzerus* contrà Sadaë-  
lem, & in Anti-Martinic, *Dn. D. Hüs-*  
*terus* in Elencho Sadaëlis, *Dn. Schrö-*  
*derus* de Nestorianismo & Evtychia-  
nismo, ut & de Communicatione Idio-  
matum: item in *Throno*, & in *sceptro*  
*Regali*; *Dn. D. Myslenta* contrà Sach-  
sium: Fusè etiam hunc articulum  
contrà Calvinianos executi sumus *Exa-*  
*mine doctrinae & Syncretismi Reformat.*  
*de persona Christi.*

De *Prædestinatione* tractavit ad- *De Præ-*  
versus eisdem *Schaffmannus*, *D. Poly-* *destinat.*  
*carp. Lyserus*, ut & *B. Meisnerus* in *An-*  
*thropol.* *Dn. D. Johan. Behm* disp. de  
differ. Evang. promis. & imprimis *Dn.*  
*D. Tauffrerus* contrà *Piscatorem*, *Dn.*  
*D. Mentzerus* contrà *Dordracenses*, &  
*Dn. D. Hülsemann.* in disput. de auxiliis  
gratiæ.

In Articulo de *S. Cæna* contrà *De S. Cæ-*  
*Zwingl.* post *B. LUTHERUM* egit cum- *na.*  
primis luculenter *Dn. D. Chemnitius* in  
Pp 4 funda-

fundamentis Coenæ, Dn. D. *Aegidius Hunnius* contra Embdenses, Dn. D. *Gerhardus* in LL. CC. Dn. D. *Dorscheus* disputationibus contra *Zvingerum* Conf. etiam Scripta Rev. Minister. *Dantiscani* Polemica nupera de *Eucharistiâ*: & *Stereoma nostrum Anti-Berugianum*, ut & Colleg. *Testamentarium* Dn. D. *Himmelii* ejusque Defensionem German. In articulo de *Baptismo* legantur *Marpurgenses* scripto German. contra *Cassellan.* De *Principio fidei* & de *DEO* diligenter egit Dn. D. *Meisnerus* in der Prob der Calvinischen Dilection p. 2. de iis ut & aliis plerisque *Marpurgenses* l. c. Dn. D. *Hoë* in suis *Anti-Calvin.* ut & Dn. *Wellerus* in *Anti-Masfonio.*

IV. Expendendæ inprimis veniunt sententiæ publicam doctrinam Reformat. exhibentes, prout à Dn. D. *Nic. Hunnio* factum, in dialcepsi de fundam. dissensu Calvin. & in *prefat. nostrâ* super *L. Tom. in Aug. Conf.*

De Syncretism.

V. De *Syncretismo* etiam dispendendum, cum in genere, tum in Specie. In genere eum expediunt Dn. D. *Hutterus*, & D. *Sigwartus* in *Refut. Irenici Pareani*, nec non D. N. *Hunn.* in *dialcepsi*

*Dn. Hülfemann.* in Calvinismo irreconc.  
*D. Großhemming* in disput. de dissensu  
 Calvin. Quorsum etiam facit Irenicum  
 & stabilimentum Irenici *Dn. D. Himme-  
 li*, ut & *Judicia Duxeo data* &c. In *Specie*  
 quæ singulas quæstiones expendere eum  
 cepimus in *Exam. Syncretism. Reform. de*  
*Persona Christi*, quò cum primis condu-  
 cunt *Dn. D. Mentzeri* scripta contra *Pie-  
 rium, Crocium, Steinium, Schönfeld,* &  
 cõtra *Martinium*. & quæ contra locieta-  
 tem A. C. Reform. edidit *Dn. D. Botsac-  
 cus* adversus *D. Georg. Pauli*, ut & adver-  
 sus *D. Job. Crocium*. Quod ad *historica*  
 hac facientia, ea in historia A. C. *Kirch-  
 veri, Selnecceri, & Chemnitii*, in *Concor-  
 dia Concorde Hutteri*, ejusdemq; *Irenico*  
*Christiano, & Aulico-Politico* utroq; legi  
 possunt, de quibus etiã prolixè egimus,  
 & pleraq; ad Syncretismi historiam fa-  
 cientia, quæ magno molimine urgere  
 solent Reformati discussimus *Tom. I. in*  
*A. C. art. 1.* Vid. & *Movius* in *Convers.*  
*Pruten. Crocii* refutatione.

VII. Ordo autem observari poterit, *Ordo in*  
 in Controversiis Calvinianis *secundum Controv.*  
*Aug. Conf. articulos*, prout à *Dn. Mentzero* *Calvin.*  
 in *Collat. doctr. Calvin. cum A. Conf.*  
 in *Tomis Giesfens. & in Exeg. A. C.*

factum, nec non in præfatione Tom. I. A. C. quandoquidem solenne sit Reformatis provocare ad Consensum A. C. eundemq; jactitare.

*E Calvin. quinam adhibendi?*      IIX. Ex *Adversariis* verò legenda & conferenda primùm sunt *Scriptura publica*, quæ pleraque recensentur in *Exam. doct. reform. quæst. 4. præm.* Potissimùm autem *Syntagma & Harmonia Confessionum*, *Catech. Heidelberg.* *Synodus Dordrac.* *Reformatio leg. Ecclesiast. Anglic.* *Confessiones item Bohemicæ à Lydio editæ*, à quibus non excludenda videtur quoque *Confessio Zwinglii Augustam anno 1530. delata*, *Admon. Neostad.* Item *Colloq. publica*, *Marpurgense*, *Mompelgartense*, *Maulbrunnense*, *Lipstense nuperum*, ut & *Confessio Reformatorum in Colloquio Thoruniensi exhibita Ann. 1645.* etsi lubrica & sæpiùs mutata, præsertim quâ ea, quæ publico nomine libri scriptotenus proposta fuere. Deniq; *Heidelbergens.* *contrâ Tübingens.* &c: Dehinc etiam è *privatis* conferri possunt præcipui, cum *Veteres*, *Zwinglius*, *Calvinus*, *Beza*, *P. Martyr*, *Zanchius*, *Ursinus*, *Piscator*, *Junius*, *Daneus*, *Sohnius* &c. tum paulò *recentiores*



riores D. Pareus, Polanus, Perkinsius, Bucanus, Keckermannus, itemq; nuperissimi ac moderni Gomarus, Altingius, Amesius, Scharpius, Walauus, Maccovius, Voëtius, Maresius, Wendelinus, Henricus à Dieft, uterq; Bergius, uterq; Crocius, ut & Massonius, qui contra D. Hoë & D. Wellerum plerosq; articulos controversos persequitur.

IX. Ex his qui *Irenica* tractarunt, *Irenici*  
& Syncretismum urtere cum nostris *Calvin.*  
Ecclesiis, præcipuè conferendi sunt  
*Zvinglius* in Colloq. Marpurg. *Bucerus*,  
*Heidelbergenses* in Scriptis German.  
*Pareus* in *Irenico*, *D. Joh. Bergius* in  
tract. de Cœnâ, im unterscheid und ver-  
gleichung/ & in Analys: Artic. de Perso-  
na Christi, *Conrad. Bergius* in praxi Ca-  
tholicâ divini Canonis, *Lud. Crocius*  
in assert. A. C. aliisque Scriptis contra  
*Mentzerum*, *Joh. Crocius* in Conver-  
sat. Pruten. & spisso Commentario de  
Societate A. Conf. nuper edito, ut &  
*Joh. Duræus* in suis tract. *Irenicis*, &  
judiciis Theologicis: quæ edidit, qui-  
bus Catalogum variorum *Irenicorum*  
subtexere voluit.

Contro-  
versia So-  
ciniana.

IV. In Socinianarum Controversiarum tractatione præcipuè laborandum circa assertionem fidei Catholicæ de S. S. Trinitate, ut & de Satisfactione CHRISTI, cætera succinctius expediri poterunt.

Quenam  
Studio  
huic in-  
serviant.

Ista enim *primaria* sunt controversiarum capita, & concernunt principales ac præcipuos articulos de quibus prolixissimè disputarunt *Socinistæ*, quibus deniqve evictis faciliores se præbebunt in cæteris. Inserviunt autem Anti-Sociniano studio I. *Synoptica* tractationis loco, Photinianismus *Stegmanni*, cum quo etiam confertur poterit impietas Photiniana *Thummi* & *Synopsis Photinianismi Gerhardi* in disput. Jenens itemqve *disputat. ejusdem de Gloria DEI*. Synopsis etiam Photiniana religionis concinnavit *D. Jacob. Martini*. Conducet huc non parùm *Syntagma Anti-Socinianum*, publicis disputationibus propositum, ad quod revocari poterunt, quæ apud alios observantur, cum plerasqve omnes controversias succinctè persequatur, (præter arti-

articulum primarium de Satisfactione  
 uberius demonstratum) non neglectis  
 etiam iis, quæ ab aliis prætermis-  
 sunt.

II. *Plenior confutatio Sociniane im-  
 pietatis* habebitur, quoad plerosque Ar-  
 ticulos junctâ consideratione Theolo-  
 giæ Photinianæ *D. Meisneri, & Anti-  
 Ostorodo Fewrbornii, & disputat. super  
 August. Confess. & vindiciis eorundem  
 D. Frantzi, & cum primis tractatu  
 nostrô Germanico, der eigentlichen  
 entdeckung und gründlichen wiederle-  
 gung der Socinianschen Lehre/ quem  
 propediem, dante DEO, Ecclesiæ ex-  
 hibebimus, siquidem non defuerint,  
 qui boni publici causâ sumtus im-  
 penderint ad divulgationem operis  
 hac tempestate Ecclesiæ pernecessarii  
 magnorum virorum svasu suscepti.*

III. *Quod in specie ad articulum  
 de Sacro-Sanctâ Trinitate, conducent  
 eô Georgii Majoris Scripta contra Anti-  
 Trinitarios, Dn. Jac. Martini libri 3. de  
 tribus Elohim, Dn. D. Gerhard. in Exe-  
 ges. & disput. Isagog. P. Tarnovius, qui  
 Fausti Socini Antiwujeckum confu-  
 tavit, Graverus in Exam. Sophist. in ca-  
 put. I.*

put I. ad Ebr. B. Meisnerus in *Λολολογία*  
 & è Reformatis Zanchius de tribus  
 Elohim, Fr. Junius contra Samosate-  
 nianos, Jofias Simlerus de Filio DEI, &  
 Becmannus in Exercitatione contra So-  
 cinum: ut & *ὑπόθεσις* hujus articuli  
 quam brevi, *σὺν Θεῷ*, sistemus Ecclesie.

IV. Quà *Antithesin* in hoc Articulo  
*confutatio Job. Crellii* sufficiet, qui  
 plerasque omnes objectiones Socinia-  
 nas proposuit, quas adversus fidē Ca-  
 tholicam de SS. Trinit. urgent, cujus  
 libros sub examen justum revocavimus  
 in *Theologia naturali & revelatā*, vel  
*Tomo secundo super Augustanam Confes-  
 sionem*; Thesin verò fidei nostræ pe-  
 culiari volumine asferemus. Refuta-  
 vit quoque illos Dn. D. Botsaccus Col-  
 lega quondam & Compater noster bono-  
 randus in *Anti-Crellio suo*.

Ad Articulum de *Satisfactione*  
*Christi* inserviunt *Disput. B. Franzii, &  
 Schola Sacrificiorum, Disertatio D. Grü-  
 veri de Satisfactione*. Quorsum etiam  
 faciunt disputationes nostræ tum de  
*necessitate hujus doctrinæ*, tum de ve-  
*ritate ejusdem in Academ. Regiomontana*  
*habite*; item tractatus de *causis mortis*  
*Christi*

Christi cōtrā Crellium, & imprimis Disputationes nostræ publicæ *Christologica Anti-Socin:* hîc habitæ Witebergæ, quibus potissimum artic. de Satisfactione Christi fusè prosequuti sumus in *Syntagmate Anti-Sociniano*. E *Reformatis* Scriptis eò conducunt *Sibrandus Lubbertus* de Servatore Christo cōtrā Socinum, *Hugo Grotius* de Satisfactione Christi. *Job. Junius* in refut. prælect. Socin. ut & *Essenius* in refut. *Crellii* de Satisfact. Christi, vel *triumpho crucis Christi*. &c.

Quoad alios Articulos de cognitione *DEI naturali*, & de nominibus *DEI* tractavit *Dn. Nicol. Hunnius*, ac prolixè de iis actum in *Theologia naturali & revelatâ*. De *Statu integritatis, peccati, & restitutionis* agit *Dn. D. Nic. Hunnius*. De *CHRISTO semetipsum resuscitante* actum in tract. *German.* cōtrā *Schæfferum* nomine *Facult. Academiæ Regiom. Theolog. edito*. De plerisque articulis in *refut. Catech. Racov. Facultas Theol. Witteberg.* egit, ut & è *Reformatis Maccovius* in Collegiis Theologicis, ut & in *Anti-Socino & Casib. Conscient. Conf. & ὡπῶτον ψεύδῳ*, *Socini* &c.

Socinia-  
na Secta  
autores.

ni & Theologia Polemica ejusdem. Pontificiis Smiglecius Jesuita legendus.

IV. Sociniane sectæ autores; Quorum non admodum magna nec multa volumina habentur; ita ut facile plerisque ab iis, qui controversias cum ipsis paulò accuratius tractant; evolvi possint; sed non fiat id propter periculum seductionis, nisi ab his, qui perquam probè jam fundati sunt in Religionis Christianæ fundamentis. Sunt autem instar publicorum scriptorum *Catechesis Racoviensis, & Institutiones Religion. Christ. Anonymas editæ.* Dehinc scripta *Socini* pleraque proximum sortiuntur locum, præsertim *Polemica*; eum quibus etiam alia aliorum scripta conferri possunt. Ita quod articulum de *Trinitate* attinet, impugnavit eundem Socinus præcipue in *animadversionibus* contra Assertiones Posnanienses, & in *defensione* eundem contra Eutropium, ut & in *Anti-wujeko*; nec non in tractatu de *DEO, Christo, & Spiritu Sancto*; In *Religionis Christianæ brevissimâ institutione*, & *libello seorsorio*, & imprimis in *Fragmentis duorum scriptorum de Trinitate.* Item

Val.

*Val. Smalcus* contra *Smigleccii* nova monstra, & in *refut. duorum librorum de errorib. Arianorum*. Ut & in *Exam. 100. errorum*, nec non in *Exam. 157. errorum*; In *Refut. Schöpperi & Ravenspergeri*, itemq; in *disput. Frantzi refutat. ac Resp. ad Graverum de Spiritu S.* ut & *Refut. Orat. Vogelii*. Insuper *Ostorodus* in *Instit. & disp. cum Tradel. & Volckelius*. libr. de verâ Religion: *Stoinski* in *disputat. cum Carmelitâ*, *Schlichting*. contr. *Meisner. disp. de Trinitate*, & cum primis *Job. Crellius* libro de *Uno Deo Patre*, itemqve *Enjedinus* in *Explic. locor. Vet. & Nov. Testam. Conf. & Scriptum Smiglenstum contra Dn. à Schlichting. & Thomas Pifecius* contra *Campionum*, & *And. Dudithius* in *Epistola*, qvi *Symbolum Athanasii* in primis exagitat, *And. Fricius* in *Sylvis*, qvi in utramqve partem de *Trinitate* disputat. *Goslavius* contra *Keckermannum*, itemqve idem contra *D. Jac. Martini*, qvi maximam partem *Philosophica* exegit.

Articulum de *Satisfactione Christi* impugnant potissimum *F. Socinus* disputat. cum *Covero*. de *Servatore Christi*.

sto, & disputat. contra Volanum, de expiatione peccatorum, nec non in prælect. Theol. ut & libello suasorio, Smalcii Refutat: Smiglecii de Satisf. Christi & Respons. ad nova monstra, nec non refutatione Orationis Pfeischel: & disputat. Frantz. Præterea Christophorus Ostorodius contra Tradelium, & in Institut: Relig. Christ. Joh. Statorius disputat. cum Carmelita, Volckel. libro de Verâ Religione, Jonas Schlichting. contra Meisnerum, Michaël Gutrichius contra Lucium, & imprimis Joh. Crellius contra Grotium, ac tractatu de causis mortis Christi. De Incarnatione Filii DEI vel potius adversus eandem egit Socinius Explic: I. Capit: Johann: & in Antiwujeko, Smalcii Ref. disput. Graveri de Incarnat. & Smiglecii Verbum caro factum est, vel de Incarnation. Ostorodius & Volckelius in Institut. &c: Quod ad alios Articulos de Scripture Sacrae autoritate libro peculiari egit Socinius extatq; disputatio Anonym. adversus Judeum: de DEO & Attributis divinis Joh. Crellius; de Justificatione & aliis particularibus materis extant breves tractatus Socini; de peccato & peccatorum remiss.



remissione Scriptum *αὐτὸν* idem edidit, Tractatum item peculiarem de baptismo aquæ, de quo & Moscorovius contra Smiglec. tractavit, & Schlichting. contra L. Meisnerum. De Cæna Domini habetur Tractatus F. Socini, ut & Schlichtingii disputat. contra Meisnerum. De præceptis Vet. & N. Test. itidem Schlichtingius egit contra Meisnerum. De Ecclesia & vocatione Ministrorum tractavit Theoph. Nicolaides, itemq; Volckelius in dissolutione nodi Gordii, De peccatis à regno Dei excludentibus egit Schlichting. contra Meisnerum. De pace Ecclesiæ Philadelph. tractat. habetur. De Symbol. Apostolico Latina, de Aug. Conf. German: occasione Colloq. Liplient. extrat commentatio. De his & plerisq; aliis Articulis in Instit. Ostrodi, libris Volckelii de verâ Religione agitur, ut & in Catech. Rarov. nec nõ in Refut. diss. Frantzii Schmalziana, & in Exam. 100. iteq; 157. errorum ejusdem, item in libello suasorio Socini, & in Stegmanno contra D. Botsacum. Conferri quoque heic possunt Historiæ causâ, Epistola Socini ad amicos, & ob dicta Scripturæ Raroviensis Nov. Testam. versio Germanica:

Denique è Scriptis Philosophicis *Electi-  
chi Sophistici Socini, & Ethica Cre-  
lii.*

*Ne-Ar-  
rian.*

V. Quod ad *Ne-Arrianas* controver-  
sias, de iis parùm jam habemus, ideoq;  
per *appendicis modum* reduci possunt ad  
Socinianos, quorsum facit imprimis *F.  
Socini cum Erasmo Johann. Arriano*, dis-  
putat. de præexistent. Filii DEI: de quib-  
us etiam videri possunt, quæ *Dn. W.  
gandus* de Arrianis, & *Schlüsselburg.* in  
Catalog. hæret. de iisdem prodidere;  
itemq; *Fricius* in *Sylvis* &c.

VI. Revocabitur huc quoque *Se-  
cta Semi-Judeorum*, qui inter Photi-  
nianos potissimum fuerunt, utpote  
*Christiani Francken, Francisci Davidis;  
Mart. Scidel.* &c. de quibus legantur  
*disput. Socini cum Fr. Davidis* de invo-  
catione Christi, ut & cum *Christ. Fran-  
cken.* de adoratione Christi, & quæ *Sei-  
delio* ab ipso Socino sunt opposita &  
huic posteriori disputationi cum *Chr.  
Francken* adjuncta, ut & quæ disputat  
contrà *Semi-Judæos Dn. Jac. Martini*  
lib. 3. de trib. Elohim.

V. Controversiæ Remonstrantium separatim tractantur re- *De Con-*  
 ctius, quàm conjunctim cum So- *troverfiis*  
 cinianis aut Calvinianis. *Remon-*  
*strantium.*

Ratio est, quia ut ut prodierint illi è *Calvinianis*, & magnam partem declinarint postmodum ad *Socinianos*, distinctâ tamen omninò Sectam constituunt. Non enim æstimandi unice sunt ex his, quæ de iis Antagonistæ Calviniani perhibent, utpote *Nicolaus Vedelius* in arcanis *Arminianismi*. *Nicolaus Brodeckerus* in *Socinismo Remonstrant.* & *Job. Peltius* in *Harmoniâ Socin. & Remonstrant.* ac *Festus Hommius* in specimine controvers. Remonstr. in Belgio: minùs namque tutum est illis ceu Antagonistis Remonstrantium fidem adhibere, ubi non collata fuerint Remonstrantium scripta. Interim conferri etiam illa modò citata scripta possunt, ut & è nostris *Dn. D. Hülsemannus* in *Breviario suo*, nec non in *disputat. de auxiliis gratiæ*, itemq; *Dn. D. Brochmandus* in *Systemate*. Ad Confutationem *Arminianorum* faciunt è nostris, quos

jam laudavimus, quibus in *Controversiis de notitiâ DEI naturali, nominibus DEI, & attributis divinis* jungantur, quæ Libro I. *Instit. Theol.* tradidimus, itemq; in thesi eorum proponendâ circa plerosqve articulos *Disputat. nostræ Synopticæ in August. Confessionem. E Reformatis verò Censura Leidenfium Theologorum*, itemq; *Altingius* in explicatione *Cateches. Palatinæ: Voëtius* in *disputation: selectis, Maccovii & pōtōr* *Hevōdōr Remonstrantium*, ut & *Collegia Theologica*.

Ex ipsorum verò *Remonstrantium* parte legatur *cum primis Confessio eorum cum Apologia, Responso ad excerpta Professorum Leidenfium, Indiciū seu Vedelio Rhapsodo*, ut & *collatione Hagienfi, Scripta item Anti-Synodalia*. Conferri quoque possunt opera *Armini & Episcopi Disputationes* ut & opera alia ejusdem.

II. *Remonstrantium Controversiis* subjungenda, sed peculiari sectione, ne confundantur cum illis, ut plerumque à Calvinianis fit, *Vorstiana*, de quibus legantur ab unâ parte nostris *D. Gerhardus* in *Exegefi D. Ger-*

*Controvers. Vorstiana.*

*vern*

verus in quæstion. illustrib. *Institutio-*  
*num nostrarum Liber primus de DEO &*  
*attributis divinis, itemque è Reforma-*  
*tis Piscator contra Vorstium. Sibr. Lu-*  
*bertus in Commentariis ad nonaginta*  
*novem errores Vorstii. E Pontificiis Be-*  
*canus de DEO & alii; ab altera parte*  
*Conr. Vorstii tractatus de DEO, & notæ*  
*ad eundem, Apologetica Exegetis, & ora-*  
*tio Apologetica, ut & amica collatio*  
*cum Piscatore. &c.*

III. Subjungi etiam his poterunt ea,  
 quæ contra *Sebastianum Castellionem*,  
 fortè expedienda, qui nulli sectæ quàm  
 Remonstrantium propior videtur; quo  
 de legantur *Dialogi ejus* cum additis  
 tractatibus: Cæterùm, quia nullos is  
 habet asceclas, iisdem detineri Studio-  
 sos operæ pretium vix videtur.

VII. Controverſiæ Anaba- *Controv.*  
 ptistarum quæ articulos proprios, *Anaba-*  
 operosa tractatione non indi- *ptistar.*  
 gent.

Nam velutuntur illi argumentis,  
 quæ à Socinianis aliisque Sectis adhi-  
 bentur, vel ubi de suo quædam profe-

runt, parùm ea momenti obtinent, unde faciliori negotio pleraqve cùm ipsis controversa expediuntur. Horum autem faciunt, à nostrâ parte D. *Wigandi* de Anabaptismo, ut & *Schlüsselburgii* contrâ Anabaptistas, in Catalogo Hæreticorum, & quæ Dn. D. *Joh. Müllerus* lingvâ vernaculâ contrâ eos edidit. E *Reformatis* de Anabaptistis scripsit *Bullingerus*, & cumpri-  
 mis *Joh. Kloppenburgus* in disputat. contrâ Anabapt. editis. De *Origine, progressu & Secta Anabapt.* habetur *diatriba Frid. Spanhemii* qui etiam prolixas contrâ eos disputationes cepit, sed non continuavit easdem, in ipso subsistens limine. Conducunt etiam huc *Colloquia cum Anabaptistis* habita *Franckenthalense, Embdese, & Leovar- diense*. Ex ipsorum parte præter dicta colloquia adhibenda *Confessio Anabaptistarum*, ejusdem *uberior declaratio & defensio* per *Nicol. Nicolai*, ut & *Scripta Mennonis Germanica, liber fundamenti & alia, Confess. Fauckel.* opposita, *Enchiridion* item *Theodorici Philippi, Catech. Reineri, Wibrandi, & alia*, de quibus *Cloppenburg.*

VII. Quæ cum Weigelianis *Weige-*  
 Fanaticis, & novellis Prophetis *lian. Con-*  
 intercedunt controversiæ, eadem *trovers.*  
 ferè operà expediri possunt.

Quia ut *Weigelius Svenckfeldium,*  
 & *Paracelsum*, itemqve *Osiandrum* in  
 plerisque secutus est, & ad ipsos provo-  
 cat: ita *Weigelium* sequuntur alii, *Me-*  
*tista*, *Stiefeliani*, *Fratres Rosæ Crucis*,  
*Chilista* & id genus alii Fanatici. Di-  
 stinctæ tamen hîc constitui queunt  
 Sectiones, si quis accuratius singulas  
 expedire velit controversias. 1. *Weige-*  
*lianorum*, ad quorum confutationem  
 ex parte nostrâ facient, tum ea, quæ  
 opposuit iisdem *Dn. D. Nicol. Hunnius*  
 in consideratione *Theolog. Paracels. &*  
*Weigelianæ Germanicâ*, ut & in *dis-*  
*putatione adversus illos Wittebergæ ha-*  
*bitis*, tum etiam *impietas Weigeliana D.*  
*Thummii*, ut & *disputationes D. Gerhar-*  
*di*, de gloria Dei, pietate & fundamen-  
 tis consolationis labefactatis à *Wei-*  
*gelianis*, itemq; *die Wiederlegung der*  
*Postillen Weigelii Joh. Schellhammeri.*  
 Et quæ contra *Weigelium* egit *Christ.*  
*Becmannus* in *Exercitat. de CHRISTO.*

Quorū etiam pertinet *Appendix Phœtinismi Stegmanni, & D. Frœreisenii Dialectica exenteatus.*

Ab ipsorum verò parte legi possunt cum primis *Weigeli Scripta, ejus Postilla, γωδὴ σεαυτοῦ, Dialogus de Christianismo, Studium universale, libellus disputatorius, De bono & malo in homine, Guldener Brief/ Öffentliche GlaubensBekendtniß/ Principal tractat von der gelassenheit/ vom Alten und Neuen Jerusalem &c.*

*Paracelsist.*

II. *Adversus Paracelsistas legendus Dn. D. Nicol. Hunnius & conferenda simul Paracelsi scripta, ex operibus Basileæ editis.*

*Schwenckfeldian.*

III. *Contrà Svenckfeld. egit Dn. D. Wigandus & Schlüsselburg. in Catalogo hæretic: quorū etiam pertinet scriptum B. Lutheri contrà cœlestes Prophetas &c. atque cum his confert poterunt Svenckfeldii Scripta de Verbo DEI, Confessio ejus de fidei capitibus, Magna Theologia Germanica, liber de vocatione & triplici vita, & Apologia ad Principem Lignicensium, item Valette ejusdem & Epistole. Circà Svenckfeldianismū expendi etiā poterit contro-*

*ver.*



versia Rathmannio - Moriana de Verbo DEI aliisque nonnullis capitibus, quorum pertinent disputatio Dn. D. Hyslentæ de Scripturâ Sac. ut & Morius ejusdem hereticus, nec non Dn. D. Dietrichi scripta contra Rathmannum & Collegium Anti-Rathmannianum Dn. D. Job. Behmii. Scriptum Germanicum M. Eberkein, Glaslicum poenitentiaë Rahtmann. caus. editum Dn. M. Johan. Jacob. Crameri, & cum primis Censuræ variæ Theologorum. ut & decisio Saxonica.

IV. Contra Metistas ab Ezechiele Meth descendentes, pleraq; ea conducent, quæ circa Weigelianos notata sunt. Videatur de hisce & eorum erroribus Eusebius Bohemus, in histor. Eccles. p. 1025. Metistæ.

V. Contra Stiefelianos ab Esaiâ Stiefelio excitatos, qui in multis Weigelianorum dogmata interpolavit, in Thuringiâ, tametsi multa etiam habeat sibi propria dogmata, egit potissimum Dn. D. Weberus in brevi considerat. Stiefelianismi, ut & in Pseudochristo ocreato An. 1624. Conf. Euseb. Bohemus l. c. p. 1028. Stiefelian.

VI. An-

Antr.

VI. *Andrea Osiandri* erronea dogmata refutavit *Wigandus & Schlüsselburgius*, in quibus etiam aliorum Scripta contra Osiandristas adducuntur. Ab *Andrea* verò *Osiandro* præter *disputat. de Justificat.* plurima scripta Germanica Regiomonti prodierunt, quæ etsi pleraq; ad manum sint cum scriptis ei oppositis, luperfedemus recensere; quod secta illa, per DEI gratiam exoleverit. Conf. Dn. D. *Myslentæ Manuale Prutenicum*. Hic etiam eadem opera paucis confutari poterit *Stancæ rismus*, de quo legendus D. *Wigandus & Schlüsselburg.* l. c.

VII. De *fratribus rosæ crucis* egit Dn. D. *Nicol. Hunnius & D. Thummus*. Ab ipsorum verò parte habetur *Fratrum Rosæ Crucis Fama*, ut & eorum Confessio, quorsum etiam pertinent *Chiliasæ*, cõtra quos egit D. *Thummus*, ut & Dn. *Gerhardus* in *disputat. de Locis quibusdam Apocalypticis*.

Contra alios Fanaticos.

IX. *Fanatici alii nonnulli, & Novelli Prophetæ*, qui *Theosophos* se dixerunt, Ecclesiam turbarunt, & adhuc turbant passim, contra quos adornatum est *solidum Scriptum à Ministerio Lubec.*

*Lubecensi, Hamburg. & Lüneburg. Auctore Dn. D. Nicolao Hunnio* Ausfühlicher Bericht / von den Neuen Propheten. Conf. & Disputat. novis fanaticis opposita *Dn. D. Gerhardi, ut & Dn. D. Nicol. Zapffii* Wächterhörulein &c. Ab ipsorum verò parte *Das Geheimniß des Tempels / darin der Vorhof das Heilige und das Allerheiligste / item Spiegel der Weisheit und wahrer Offenherzenpfort / Angeli Mariani* Treuherzige Busßposaun & alia scripta, *Christ. Andr. Prodromus Evangelii æterni, Christianus simplex &c.* Conferenda etiam scripta *Enthusiastica, Jacob. Böhmi, quem confutavit Belgicè David Gilbertus Ultrajectanus; item scripta Elæ Prætorii, Adolphi Held &c.*

IX *Liberani*, quorum Dux *Henricus Nicolai* in speculo Justitiæ aliisque ipsius opusculis, quorsum etiam spectat *David Georgii* über mirabilium cum ejusdem Apolog; contra ipsos scripserunt præcipuè in Belgia *Casspar Grevinchovius & Cornberus* Belgicæ, ut & *Abbo Emmius*. Reduci huc *Vöetius* etiam *Sebast. Francken* *Arca Noë*, contra quem scripsit *Marninius*.

*Liberani.*

X. Huc etiam referri poterit per modum *Appendicis* *Controversia*, quæ hodiè agitur inter *Orthodoxos* de visionibus, ubi ab una parte visiones propugnavit *D. Jacob. Fabricius*, ab altera parte easdem impugnavit *D. Tob. Wagnerus*, & *M. Jacob. Stoltefer*.

*Controv.*  
*Novat.*

VIII. *Controversiæ à Novatoribus* motæ tractari possunt cum parallelismo *Sectarum* quas illi resuscitant.

Pleraque *Novatorum* *Controversiæ* superiori seculo ferè inde ab *Intermistico* certamine agitatae sunt, quæ hisce sectionibus expediiri possunt.

*Antinom.*

I. *Antinomorum* certamina exhibeantur tum *veterum*, tum *recentiorum*, quorum conducunt *B. LUTHERUS* contra *Antinomos*, *J. Petrus Palladius* in *Catalogo hæresium*, & *confutatio Ducum Saxe* nomine edita, ut & *Confessio German. Theolog. Mansfeldens.* & *Schleißburg.* in *Catalog. hæret.*

*Synergist.*

II. *Synergistica* certamina pariter sic tractantur, ut & *veterum* & *recentiorum Synergistarum* *controversiæ* discutiantur. De *Veteribus* superioris seculi

culi *Ensmo*, *Philippo*, *Ebero*, *Pfessingero*,  
*Victorino Strigelio* &c. Vid. *Schlüssel-*  
*burg*. l. 5. Catal. hæret. in quo etiam  
*Flacii*, *Chemnitii*, *Heshusii*, & aliorum  
 Scripta contra Synergistas habentur.  
 Extat & *Joh. Stolsii* refutatio *Pfessingeri*  
 de *Libero Arbitrio*. Conf. quoq; de  
*Synergismo Colloq. Torgense* & *Vinariense*.  
 Recentiores controversias huc spe-  
 ctantes videbis in *Censuris contra La-*  
*termannum nuper editis à Ministerio Re-*  
*giomontano*, & in *Mich. Behm: ineptien-*  
*te, & Pelagianizante Dn. D. Myslentæ*:

III. De *Majoristica* controversiâ  
 superioris seculi consulendus l. 7. Ca-  
 talog. hæret. *Schlüsselburg*. & Scripta  
*Majori* opposita ab *Ambsdorffio*, *Nico-*  
*lao Gallo*, *Flacio*, *Snepfio*, *Morlino*, *Wi-*  
*gando*; E recentioribus huc faciunt ab  
 una parte. *Censura Anti-Laterman-*  
*nianæ*, *Dn. D. Job. Major*. tractatus in  
*Gal. 5. 6.* *Dn. Hülsemannus* egit etiam  
 speciatim de hæc controversiâ in *Bre-*  
*viario suo*, ut & in *Brevi instruction. Stu-*  
*dios. Lips.* *Dn. D. Rothmablerus* in *Dis-*  
*put.* contra necessitatem *B. O.* ad salu-  
 tem, opposita *D. Hornejo*, itemque  
*Dn. M. Lautenschläger* *Repetitione ar-*  
 tic:

Majorist.

tic. IV. Libri Concordiæ. Conferri etiam possunt, quæ de ea in *Instit. Theol. Prolegomen.* habentur. Ab altera parte D. Hornejus *Disputationibus & tractat. aliquot de necessitate studii pietatis, si quis salvus esse per Christum velit; ut & Repetitione doctrinæ suæ* (Majoristicæ) itemq; D. Calixtus in *der Antwort auf das Muster Dn. D. Hülsemann.*

*Syncretista.*

IV. De *Syncretistis* peculiariter agendum erit. Eos autem hic indigitamus, qui diversas religiones inter se discrepantes in fundamento fidei conciliare satagunt, sive sub prætextu simplicitatis fidei orthodoxæ, sive sub schemate dissensus exiguo, sive sub nomine studii pacis atque moderationis Irenicæ &c. quorsum etiam referri possunt, qui ad confinia hæreticorum in punctis quibusdam approximantes, fidemque nostram cauponantes, Sectis novis aut Schismati causam præbent. Vocantur tales *Pseudo-moderatores*, de quibus, quantum ad veteres, adhibenda, quæ circa librum *Interim pro & contra scripta sunt.* Non postremi quoque commatis inter ejusmodi *Syncretistas* fuit *Jac. Acontius* h. de

de Stratagematibus Satanae, ubi sub Schemate simplicitatis fidei Apostolici Symboli diversas Sectas conciliare conatus est, quem sequuntur hodie alii. Locum etiam suum hoc loco habere poterunt, quæ ab Hugone Grotio Papizante, (quin & Arrianizante) agitata sunt, adversus quem Dn. D. Hülsemannus in Breviario & Disput. de Missa, ut & Harmoniâ Jacobi & Pauli de Justificatione; nec non Andreas Rivetus contra Annotata ejus in Cassandrum, & in Apologeticis suis calamum strinxit, itemq; in materiâ de Anti Christo Samuel Maresius, & de cap. i. ad Ephes. Johan. Coccejus. Jac. item Laurent. in Grot. Papizant. &c: Conf. ea, quæ in præfat. super omacula Epist. Roman. dicta sunt. De aliis controversiis Neutralistarum, Pseudo-Nicodemitarum conferri poterit Diatribe Voëtii de Syncretismo.

Imprimis verò hic agendum contra Calixtinos, quorum Syncretismus maxime perniciosus Ecclesiæ: ubi ab unâ parte Heterodoxâ, & Syncretismi Babelici propugnatrice præter Georgii Cassandri consultationem & judicium de officio pii viri (illam cen aureum

libellum commendavit *Lateran.* declarat. Apol. p. 105. hoc edidit ac notas addidit, Regiꝫ; Poloniae Syncretismi provehendi causâ inscripsit ) ac *Marci Antonii de Dominis libri septem: De Republica Ecclesiasticâ*, consuli poterunt, *D. Calixti varia: Epitome Theologiae*, ut & *Epitome moralis Theologiae*, *Epicrisis de Colloq. Thoruniensi*: Item responsi. prius contra *Moguntinos*; tractat. de *Extremo iudicio*, & de *aeternâ beatitudine*, *Disput. de Authoritate Ecclesiasticâ*, de *Sacrificio*, *Apologia German.* contra *Buscherum*, tract. de *Authoritate Scripturae*, *Dissertatio De Mystero Trinitatis* & apparit: *Filii Dei in Vet. Test. Appendix* & alia *Dn. D. Scharffio* opposita, *desiderium & studium pacis & Concordiae iudicium de controversiis Reformat. & Lutheran: Wiederlegung Dn. D. Jac. Welleri*. Conferri etiam poterunt ejusdem praefat. ad commonit: *Lyrinens: Praefatio Disput. ad Princip. August: Historia Josephi*, &c. *D. Horneji Disputationes Theologicae*, & *disput. ac tract. de Bonorum Operum necessitate ad salutem*, *Regiomontanorum Schwer merorum & Novatorum Babelicorum Professor: Extraordinario*

*D. Michi*



D. Mich. Behm, D. Drejeri, & D. Latermanni Epistola ad Helmstadienses, D. Michaëlis Behmii Disputatio quaestio-  
naria & Pax-Predigt/ ut & nothwendige  
Verantwortung / D. Christiani Drejeri  
positiones. Item Gründliche Erörterung:  
ut & Fürstellung contra D. Myslentam:  
D. Job. Latermanni exercit. de Prædesti-  
natione Regiomont. & de Mystério Tri-  
nitatis, de Fide & Operibus Helmstadii  
habita, ut & Diss. de Invocatione San-  
ctorum Corollaria, Declaratio Apologe-  
tica, Disquisitio Theolog. de gratiâ & Li-  
bero Arbitrio, Gründliche ablehnung/  
(quæ tamen profecta est à Mich. Behm:  
Latermannum etsi venditet autorem.)  
Judicia Theologorum orthodoxorum  
tùm à Juniori Latermanno, tum à Pa-  
rente edita: ad Georg: Casandri tract.  
de Officii pii viri præfat. & notæ La-  
terman. Ejusdem Conciò Bisterfeld. tra-  
ctat. De Articulis Fidei primar. & secun-  
dar. &c. Ab altera verò Orthodoxo-  
rum parte, Censura Orthodoxorum Theo-  
logorum contra Latermannum, Anticri-  
stis Ministerii Regiomontani, sive Confu-  
tatio Judiciorum à Latermanni errorum  
& complicitibus D. Mich. Behm. D. Drejero,

Et ipso D. Latermanno sine iudicio edito-  
 rum cum Appendice de ipsorum Atheismi  
 & mysteriis Calixtina impietatis, Ver-  
 zeichniß der vielfältigen groben und ge-  
 fährlichen Irthümer Latermanni, Mi-  
 nisterii Regiomontani; *Brutum fulmen*  
*Helmstadianorum* displosum à Minister-  
 Regiomontan. *Nota animadversoria*  
*super virulentas & proditorias Religiones*  
*Lutheranae literas à Trigamalignantibus*  
*Calixtinorum D.M. Behm, D. Drejero, &*  
*D. Latermanno ad Helmstadienses exar-*  
*tas opera Ministerii Regiomontani; Eua-*  
*dem Antitheses castigatoriæ Positionum*  
*Matæologiarū D. Christ. Drejeri, D. Mich.*  
*Behm. ineptiens & turpiter Pelagianizans*  
*Synergizans D. Cælestini Myslentæ: item*  
*Catechismus examen mit D. Latermann*  
 und seinem Anhang/Erster und ander-  
 Theil der Beantwortung der Fürstellung  
 Drejeri, Minist. Regiomont. Item Drit-  
 ter Theil der Beantwortung M. Neufel-  
 di, Eigentlicher Bericht *de denegatione*  
*Christiana sepultura Cadaveris Mich. Beh-*  
*mii; item Brevis Refutat. Germanica Mi-*  
 nisterii Regiomontani opposita D. Behmii  
 Nothwendiger Verantwortung D. Cæ-  
 lest. Myslentæ Beantwortung der Helm-  
 städtischen Schreiben &c. *Mysterium Syn-*  
*cretismi detectum à D. Dannhawero &*

*Sigalion ejusdem: Dialysis Apologetica  
 Problematis Calixtini de Mysteriis Trini-  
 satis & Deitatis in V. Test. patefactione  
 Dn. D. Hülsemanni ut & judicium de de-  
 fider. Calixti, Instruct. Stud. Lips. Mu-  
 ster der guten Werke D. Calixti, Dn. D.  
 Scharffii varia contra Calixtum.: Dn.  
 D. Welleri Wegweiser der Gottheit Chri-  
 sti contra D. Calixtū, Ejusdē appendix:  
 Item die Erste Probe contr. eundem:  
 Crypto Papismus novæ Theologiæ  
 Helmstad. Statii Buscheri, Dn. D. Joh. Ma-  
 joris contra Hornejum. Dn. D. Rothmaleri  
 ut & Dn. M. Lautenschläger contra eun-  
 dem. Habet quoq; Dn. D. Dorsikeus non-  
 nulla cōtra Calixtum in Collat. Conc.  
 Francofurt. itē ad Cōcil. Syrmienfē; e-  
 diditq; Apolog. Judic. Argent. contra D.  
 Calixtū, in causâ Lateran.: lati: Conferā-  
 tur insuper Dn. D. Petri Haberkorn Syn-  
 tagma utrumq; de Myster. Trin: in V. T.  
 contr. Calixt. ut & Mich. Havemannii & c.:  
 quibus addi poterunt Institutionum  
 nostrarum Theologicarum Τὰ Προ-  
 λεγόμενα & appendix examinans no-  
 vam Syncretisticam Theologiam Ca-  
 lixtino - Regimontanorum Novatorum,  
 quā demonstratur, D. Calixtum, Ber-  
 niurn, Drejerum, Latermann non nisi*

falsò se Catholicos & Lutheranos jactare, reapse autem à Fide Catholicâ Lutheranâ, ab August. Confess. ab Apologia ejusdem, Articulis Smalcaldicis, Formula Concordiæ, & maximè à Corpore Doctr. Prutenico, Julioq; defecisse, itemq; Pars prima Institution. de DEO, & attributis divinis: ut & Synoptica positiones in August. Confess. in quibus per omnes articulos ostenditur Apostasia Hellostadiensium, & Region. extraordinar. ab Aug. Confessione invariata: itemq; Nötige ablehnung der Verleumdungen &c. Calixti; Apologia an den Rath zu Danzig, auf das Schreiben der Königsberg: Calixtiner. Behmii, Drejeri, Latermanni, Erbärmliche Verstockung der Calvinischen und Päpstischen Bruderschaft D. Latermanni/ und seines anhanges D. Drejers/ &c. Digeri possunt illæ Controversiæ vel juxtà seriem Augustanæ Confessionis, à quâ divortium faciunt Calixtini in omnibus articulis, ut in positionibus nostris Synopticis disp. in A.C. ut & in Apologia Germanica ostensum: vel secundum seriem concatenationis novæ Matælogiæ Samaritiæ, ac juxtà Hypothesen

*theses ejusdem*, quòd factum in *Institutionibus nostris*, vel sub *Harmonia Soci-niano-Papistico-Calvinino-Remonstratico-Calixtinâ*, quò pacto fortassis, DEO juvante, brevi Babelicor: Helmstad: Regiomontor. Syncretismus exhibebitur Studiosæ juventuti.

I X. Adversus Judæos ita agendum, ut operæ præcipuæ dirigantur ad duas principales controversias, An Messias venerit, & an Jesus Nazareus sit Messias, postmodum etiam alia de Authoritate Nov. Testam. ac porrò de S. S. Trinitate, Personâ, & Officio Christi, deniqve cæteræ secundariæ quæstiones expediuntur.

*De Controv. Judaic.*

Nam ut *priores* quæstiones supponuntur ad adstruendam authoritatem Nov. Test. ita hac asfertâ tantò facilius demonstratur mysterium de SS. Trinitate, & de Christo. Inserviunt huic studio à nostra parte *D. Helvici* Disputat. contrâ Judæos in *Tomis Gießens. Dn. D. Jacobus Martini* in libris de 3. Elohim, *Dn. D. Joh. Molleri* *Judaismus* eximie elaboratus, itemq; *Begeleucht*

Havemanni. E. *Reformatis* Buxtorff. in  
 Synagog. Judaicâ, *Münsterus* in Com-  
 ment. ad Matth. Hebr. *Constantinus*  
*Lempereur* in animadversionibus Ab-  
 rabanielis in Comment. cap. 53. *Eg.*  
 Disputat. Anti-Judaicæ *Hornbeckii.* In  
 Pontificiis *Galatinus* de Arcanis Catho-  
 licæ veritatis & è Judæis converfis  
 Der Jüdische Glaube *Antonii Margi-  
 rita*, *Christiani Gerson* Thalmud der  
 Jüden / *Pauli Weidneri* Loci Fidei  
 Christianæ, & *Gale-Razia Ottonis*  
 Ab ipsorum parte, qui Rabbinicæ  
 legere possunt, conferant præter  
 Thalmud, de quo *Buxtorffius* in Biblio-  
 theca Rabbini. Oppugnatione fidei  
 Christianæ R. *David Kimchi*, & R.  
*Joseph Albo* interprete *Genebrardô*  
 itemque *Nizarbon*, R. *Lipmanni* ejus-  
 que *Disputation. adversus Christia-  
 nos in Jeremiam, Ezechielem, Psalmos*  
 & *Danielem*, item *Esaiam* & 12.  
*Minores Prophetas*, ut & reliquos li-  
 bros omnes Veteris Testamenti præ-  
 ter Pentatevchum à *M. Sebaldo Snel-  
 lio* Latinè redditæ, & quos *Dn. D.*  
*Johan. Mollerus* in Indice primo ad Ju-  
 daic.

daismum designavit alios. De *Judeo-  
rum Sectis* legatur *Serrarius* in *Triha-  
resio*, ut & *Scaligeri Elenchus contra i-  
psum*, ac *Drusus de tribus Sectis Judeo-  
rum* & *Petrus Cunaus de Republica Ju-  
daeorum* &c.

X. Postremò deniq; loco, tra- *Turc. &  
Pagan.*  
ctandum videtur contra *Turcas*  
& *Mahometanos*, contra genti-  
les, *paganos*; ut & contra *Scepti-  
cos*, *Epicureos*, & *Atheos*

De *Turcis* Disputationes edidit  
Dn. D. *Gesnerus*, quæ habentur in *Dode-  
cade Disput. Theolog.* quædam etiam  
habet Dn. D. *Philippus Nicolai*, in ope-  
ribus suis: *Alcoranum* confutavit *Joh.  
Maurus*, editiq; sunt alii confuta-  
tores cum *Alcorano* ipso Latini in  
folio. Operam hecnavavit *Dionysius  
Carthusianus*, & *Turrecremata*, ut &  
*Guilielmus Postellus* in *Concord. Orbis*  
item *Nicetas Choniates* in *Thesauro*,  
Edidit Confutationem *Alcorani* *Richardus*:  
Cribrationem ejusdem *Nicol.*

de Cusâ Cardin. instituit. Conf. & Historia Saracenica Curionis; Item Summa contra sectam Saracenorum &c. Meliorem autem adversus Mahometistas Philippo Gvadagnolo Theologiae & Arabicae Linguae Professore Romano, qui Apologiam Arabicam pro Christiana Religione contra Ahmed filium Zin Alabedin, Persam Aspahensem edidit, sese non conspicatum profitetur Theodor. Hackspan. tract. ad Librum Nizahon R. Lipmanni adjecto pag. 343. Idem laudat quoque Widmanstadii notas ad Mahomedis Theologiam, & Alcorani Epitomen. Conferri quoque potest Calvinus-Turcismus Giffordi & Reginaldi, & Turco-Papismus Anonymi, qui creditur Sutlivius esse.

Gentiles.

II. Adversus Gentiles & Paganos præter Scripta Patrum, utpote Athenagora, Justinus, Clement. Alex. & cum primis Eusebii de præpar. Evangel. nec non Nazianzeni, Basilii, Cyrilli Alexandr. contra Julianum, & è Latinis Tertulliani, Lactantii, Arnobii, & Augustini cum primis in Libris de Civitate DEI; inserviunt Marsilius Ficinus, Ludovicus.



*Ludovicus Vives, Molineus, & qui de  
veritate Religionis Christianæ scri-  
psere Mornæus, Grotius & Canutius,  
itemqve Dn. Micrelus in Ethnopro-  
no: Vid. etiam Thomas à Jesu de  
conversione gentium, Josephus à Costa  
de Salute Indorum.*

III. Denique his adjungi poterit  
*Scepticorum, Epicurcorum, Atheorum*  
confutatio, de quibus *Thomas contra  
gentes, Raimundus de Sabaude, Savana-  
rola, Mersenus* in capita quædam Gene-  
seos, & *Voëtius* in disputat. de Athe-  
ismo &c: Sed hæc de Studio Pole-  
mico impræsentiarum, Prope-  
randum enim nobis

ad alia.

os(o)so

*Sceptici,  
Epicur:  
&c.*

## CAPUT V.

De

## STUDIO THEOLOGICÆ MORALIS.

Theolog.  
moral.

Theologia Moralis versatur primò circa virtutes & vitia moralia ac postmodum etiam circa Praxin Consolatoriam, sine quâ pietatis praxis consistere nequit.

*Practicum* Theologiæ Studium absolvitur *Praxi Concionatoriâ*, *Theologiâ morali*, ut & *Casuali ac Consistoriali Theologiâ*, de quibus brevioribus lineis adhuc agendum. *Moralem* autem dicimus eam, quæ non solum virtutes morales, iisq; vitia opposita persequitur, quorsum etiam referuntur *munia statuum in Ecclesiâ*, sed etiam quæ *consolationum fontes* tradit, ideoq; id nominis vel *Synecdochicè* ipsi convenit, vel etiam ideò vindicatur eisdem, quod ad *pietatis praxin*, vel maximè requiratur vera & viva fiducia, quæ non nisi è fontibus *consolationum* redundat, quodq; influant

con-

consolationes in ipsam pietatem & ad  
eandem impellant atque incitent.  
Commodè etiam ita dispesci poterit  
*Theologiae moralis studium*, quod nem-  
pe sit vel *commune* vel *singulare*: *Com-*  
*mune* tum *abstractum* ab informatio-  
ne *homileticâ*, quod in actu quasi si-  
gnato consistit, tum *respicens homile-*  
*ticam informationem*, quod quasi in actu  
exercito situm est. *Illud* occupatur tum  
circa *praxin pietatis*, tum etiam circa  
*praxin consolatoriam*. Hoc vero circa  
*conciones* ad populum habendas. *Sin-*  
*gulare* deniq; studium concernit singu-  
lares *Casus Conscientiae*.

Duplex ergò datur Praxis de  
quâ informandus heic animus.  
1. Praxis pietatis vel Eusebiana.  
2. Praxis Consolatoria, vel Para-  
cletica.

*Illâ* veluti praxis est *Decalogi*, *hac* ve-  
rò praxin sistit *Evangelii*. Ut enim De-  
calogus ideam virtutum & normam  
agendorum, ac è contrariò regulam  
fugiendorum exhibet; ita suggerit *Ev-*  
*angelium* vivificam consolationem,  
in quibusvis necessitatibus.

CANO.

## CANONES.

*Stud.*  
*Moral. ne-*  
*cessitas.*

I. Studium morale maxime necessarium est futuro Theologo.

Quia ut non potest in Theoria veritatem ac falsitatem dignoscere nisi operam navaverit Theologiæ Polemicæ: ita nec *virtutes* inculcare aut *vitia* reprehendere, vel hæc ab illis exquisitè discernere poterit, sine adminiculo moralis Theologiæ, quod tamen in hoc perverso seculo propriis necessarium est. Ideoq̄ve conjungit Spiritus S. cum *διδασκαλία & ἐλέγχω τὴν παιδείαν καὶ ἐπανόρθωσις* 2. Tim. 3. 16.

*Schola*  
*pietatis.*

II. Oportet itaq; cum primis Studiosum Theologiæ sedulò excolere Scholam pietatis.

Ad hanc excolendam legendi Practici moralistæ. In quo genere etiam plurimum præstiterunt Pontificii Scriptores, illi tamen non nisi cum singulari judicio & prudentiâ legendi sunt, tum propter errores, quos admiscerunt

tum etiam quod multa saepe congerant  
parum utilia, praxiq; sacrae profutura.  
*Adbac* vastis & ingentibus volumini-  
bus pleriqve moralia persequuntur,  
quae consulere, neque sumptuum ne-  
que temporis angustia facile permit-  
tit. Interea posse quosdam e Ponti-  
ficiis *ascetica* tractantibus utiliter ad-  
hiberi non inficiamur ( qui autem de-  
legendi sint, postmodum indicabimus )  
dum modo haec primae tribuantur  
Orthodoxis, quandoquidem per Pon-  
tificios *fundamenta pietatis* admodum  
labefactentur, ut solide *Dn. D. Gerhar-  
dus* inter alios edocuit.

Faciunt huc potissimum sequentia.

I. *Compendiosae Decalogi explicatio-  
nes.*

II. *Tractatores* alii Decalogici, qui  
paulo prolixius pleraque persequuntur,  
idque tum *Didactice*, ut *D. Thummius*  
& *Dannhaverus*, item e Reformatis  
*Perkinsius, Rivetus* in Exodi cap. 20. tum  
*Homiletice*, quorum plurimi extant.

III. Cum primis vero commenda-  
tionem hic meretur *Schola Pietatis Dn.  
D Gerhardi.*

IV. Conferendi etiam sunt aucto-  
res

res, qui in *Proverbia Salomonis*, in *Ecclesiasten*, *Syraciden*, & *librum Sapientie* commentati sunt, supra designati.

VII. Nec abs re fuerit, etiam eos qui in *Epistolas Paulinas* commentati sunt & moralia maximè persequuntur, adhiberi, quippe quæ magnam partem in *Paræneticis* occupantur.

VI. Adhiberi quoque possunt alii libelli *ascetici*, v. gr. de *Christianismo Job. Arndi*, *praxis pietatis Bailii* & similes, in quo genere varia habentur scripta utilissima *B. Lutheri*, *Morlini*, *D. Stegmanni*, *D. Mengerlingii*, *D. Waltheri*, *D. Kesleri* & aliorum. E *Reformationis* commendantur cum primis *opera Perkinsii*.

VII. Sed & è *Pontificiis* hic conferre licebit *opera Drexelii*, *moralia Belarmini*, *Stapletonum*, *Granatensis opera*, *Giraldi summam virtutum & vitiorum*, *Caroli Scribani medicum religiosum*, ut & *Sandaum* in *Theologiâ mysticâ*. E veteribus *Faulerus*, & *Thomas de Kempis*, ut & *Opera Gersonis* conferantur.

IX. *Homiletici* insuper *Scriptores*, qui

Qui hic utramque ferè faciunt paginam,  
de quibus postea.

IX. Legendæ etiam speciales tra-  
ctationes & homiliae, v. gr. de *amore*,  
*Justitiâ DEI*, de *Luxu* &c. in quibus  
præcipuè *Patres* præcellunt, ad quos  
indicem præbebit *Bibliotheca homilia-  
rum* & sermonum præscorum Patrum  
edita à *Laurentio* & *Francisco Gerhard*.  
*Mosamo*, quo qui destituuntur ex in-  
dicibus operum materias colligere po-  
terunt.

X. Imprimis verò usui hic erunt  
*Concordantiæ Crellii*, *Thesaurus Bibli-*  
*cus Vogelii*, *Petri Ravanelli Biblioth.*  
*Sacra seu Thesaurus Script. Canonica Ge-*  
*neræ* Anno 1650. editus, opus labo-  
riosum & eximium sed cum iudicio,  
etiam ob errores insperatos adhiben-  
dum, ut & *Enchiridion Marlorati*, nec  
non *Florilegia ac Polyanthea*, *Wegwei-*  
*ser D. Daniel. Crameri*, *D. Dan. Tossani*,  
& similia scripta.

III. Operæ autem pretium est *Volumen*  
peculiari volumine moralia com- *moralium*  
prehendere, quod sit instar *LL. LL. CC.*  
*CC. moralium.*

In hoc colligantur ea, quæ ad virtutes ac vitia faciunt, tum è *Scripturis* tum è *Patribus*, aliisque *Autoribus* observatu necessaria. *Methodus* commode servari potest ea, quam *Dn. Gerhardus* secutus est in *Schola pietatis*, nisi quis maluerit hinc etiam ordine *Alphabetico* consignare virtutes atque vitia, ut nempe 1. colligantur, *Formula* loquendi *Germanicæ* *Emphaticæ*, & movendum accommodatæ. 2. *Dicta Biblica* efficacissima & penetrantia. 3. *Dicta Patrum*. 4. *Dicta prophanorum*. 5. *Exempla*. 6. *Allegoria*. 7. *Similitudines*. 8. *Miscellanæ persuasionis argumenta*. Hinc solum notamus dicta prophanorum non nisi rara ac perquam insignia congerenda, prout in *toto Biblico Codice* vix ultra tria occurrunt è *gentilibus* ac similiter exempla ex *historiis prophanis* potiora, solumque admodum illustria observanda, quia hinc non versamur in *Theologia Gentilium* sed in *Scholâ Spiritus S.* Denique non solum ad exteriora opera, sed etiam ad interioris hominis perfectionem respiciendum, seduloque incitamenta ad mortificationem veteris homi-



hominis, ad abnegationem sui ipsius, ad  
despectum mundi &c. facientia colligen-  
da sunt, nec non ea quæ concernunt  
applicationem ad diversos status, ut ita  
in promptu sint omnis generis exhorta-  
tiones & correctiones.

IV. Praxis Consolationum ex-  
pendenda secundum objecta di-  
versa consolationis indiga, ut &  
diversos Consolationum fon-  
tes.

De Praxi  
Consola-  
toriâ.

Ad Studium Paracleticum præter  
diligentem Scripturarum lectionem,  
è quâ consolationis omnigenæ aquas  
haurire licet ceu vivificis Israëlis fon-  
tibus, conducunt vel maxime Scripta  
Eusebii B. LUTHERI, quorum usus pra-  
cticus monstratur in *Pastorali Lutheri  
Conradi à Porcia*.

2. Deinde etiam variæ ex antiqui-  
tate colligi possunt succi plenæ & vivi-  
ficæ consolationes, quas ubi apud alios  
in quotidianâ lectione occurrunt, an-  
notasse & observasse proderit. Quo pa-  
cto ferè enati Aphorismi Dn. D. Gerhar-  
di *Theologiae Practicæ*.

3. Adhibenda hic ea, quæ de Evan-  
gelicis

gelicis promissionibus adornata sunt, quæ fundamenta sunt omnis consolationis vivificæ, qualia sunt meletemata varia super *πρωτοεὐαγγελίου* Genes. utpote *D. Waltheri*, in *quadrag. Miscell. Theolog.* & in *Officina Bibl.* quæque in aliis Prophetis dictis consolatoribus vel suavissimis N. T. textibus habentur in Practicis ferè innumera. Quò pertinet *Schola Prophetica D. Crameri*, *Postilla Prophetica Glasii*, & *D. Waltheri Postilla Salomonica Gerhardi* &c.

4. Referimus huc meditationes de *Christo Practicas*, quippe qui fons est & fundus omnis salutiferæ consolationis. De *Christi nominibus*, quæ collegit *Sagittarius*, ut & *D. Glasius* in *Onomatologia Prophetica*, quorum spectant meditationes variæ de nomine *Jesu*, De ejus *Adventu*, quò pertinet *adventus Christi typicus D. Balduini*, & *explicationes typorum V. T. Christum adumbrantium D. Lucae Bacmeisteri*: ut & quæ de passione Christi extant *Meditationes Practicæ D. Selnoceri*, & *D. Gesneri*, ut & *Sartorii Homiliae Academicæ Batti*, & *Meditationes Passionis Christi Pelargi*, *Homilia Meisneri*, *Himmeli*, *Cluveri*, *Tarnovii*, plurimumque aliorum similia.

5. Τέλος & complementum omnium promissionum cum sit *æterna vita* conferenda, quæ de illa edita habentur *Practica*; quæ etiam multa in L. L. CC. *Gerhardi* de vitâ æterna collecta sunt, & *Homiliis* de novissimis *D. Qvistorpii*, ac cum primis in descriptione *vite æternæ* *D. Phil. Nicolai*, & *Luce Pollionis*, Im *Himlischen Jerusalem Meyfarti*, (qui & edidit *Hellisches Sodom*) Vid. & *D. Crameri* *Speculum futuræ gloriæ*, *Andree Frantzi* *Meditatio de vitâ æternâ*.

6. Quæ de fide ejusq; efficaciâ, quæ de filiis Dei corûq; privilegiis, ac de felicitate edita sunt *Practica*, omnia huc faciunt. Quorsum refer *Dn. D. Meisneri* *Disputationes* de fide, ut & de *Fide Jobi*, variis *Practicis* refertas, *Casmanni* *Victoriam Christianam*, daß güldene Kley nod *Son-thombs/Timothei Patavacii* de *characteribus filiorum Dei* & similia.

7. Quæ de tentationibus variis & consolatione in iisdem extant. Tale habetur *enchiridion Germanicum* è scripturis *Dn. Gerhardi*, & *Hieronimi Welleri* antidotum adversus omnis generis tentationes, *D. Chytræi* capita doctrinæ de cruce, & consolationibus in cruce, *Scholæ tentationum Casmanni* & c.

8. Quæ speciatim parata sunt antidota contra mortem, quò refer: *Gedicht Sterbekunst / Athanasia Alardi, de arte moriendi D. Krackewitz / Alardi Vaeck, & Mart. Mölleri, Nath. Chytrai viaticum itineris extremi, Wilhelmi Perkinsii de morte & ratione benè moriendi, Casmanni Bayarogelica*, ut & sanctum ejus desiderium beatè moriendi.

9. Haud pauca ejusmodi Practicæ à gnavo Theologiæ Practicæ Studio colligi possunt quocq; ex Homiliarum scriptoribus, super Evangelia & passionem CHRISTI, ut & concionibus sunebribus.

10. Æquè faciunt huc, quæ in *Agendis Ecclesiasticis* de hac praxi habentur, ut & in *libellis Instructionum*, quomodo agendum sit cum *morbundis*, cum *tentatis*, cum iis, qui absolvendi sunt, &c. Ex his & similibus colligenda sunt insigniora ad Praxin consolatoriam facientia.

Tituli autem adornentur juxta *genera variarum tentationum*, quibus singulis consolationes subjiciantur *juxta fontes diversas consolationum* distributæ, prout manuductio quædam habetur in *Enchiridio* suprâ dicto *D. Gerhardi*.

CAPUT VI.

De

STUDIO HOMILE-  
TICO.

Studium Theologiæ Homi-  
leticæ concernit partim Metho- *Quenam*  
dum concionandi, partim pra- *huc spe-*  
xin concionatoriam. *ctent.*

Primum enim de *Methodo con-*  
*cionandi* meritò informari debemus,  
cum non nasceretur Rhetores Ecclesias-  
tici, & tum demum ad *praxin* dedu-  
cendi sumus Homileticam.

Methodus concionandi, quan-  
quam distincta sit à Methodo stu-  
dii Homiletici, ad hanc tamen  
certo respectu pertinet.

Nimirum quatenus docetur, quid  
& quomodo legendum sit de Metho-  
do concionandi, non verò quatenus  
eadem ex professo præscribitur. Quia  
hoc aliud operæ est, quandoquidem  
heic solùm agatur *de Methodo Studio-*  
*rum artis Concionatorie*, non autem

præcepta tradatur *Artem Concionatoriam* dirigentia. Ideoq; opus non est, ut hic Canones, vel de *Inventione*, vel de *Dispositione* &c: quæ eò pertinent observanda proponamus, ne limites instituti nostri transgrediamur.

## CANONES.

*Quomodo ad studium Homil. accedendum.*

I. Ad Studium Homileticum illotis, quod dicitur, manibus nemo accedat.

Cum enim studium hocce ea, quæ in Theologia percipiuntur, ad praxin & usum Ecclesiæ applicare doceat, eaq; praxis nulla sit, nisi præcedat *γνώσις* eorum, quæ ad ejusmodi praxin requiruntur, non præsumat Theologiæ Tyros, qui nondum *Catecheticum* libellum paulo exactius absolverit, aut *Didacticam* perceperit Theologiam, & in Controversiis aliquâ solùm ratione versatus sit, animum applicare studio *Homiletico*, multò minus irruere statim in *Catecheticam* Ecclesiasticam. Quod Cacoëthes improbum ut in Gymnasia etiam irrepfit, ita meritò pios Studiosorum animos ab hac profana temeritate & audacia

ciâ revocare debebat, cum ardua munieris hujus religiosissimi difficultas, tum sanctæ Cômunionis Ecclesiasticæ conspectus & autoritas, ipsâ S. S. Angelorû, imò S. S. Trinitatis singulari gratiosâ præfentiâ stipata & condecorata.

II. Priusquam praxin Concionatoriam quis aggrediatur, Methodum concionandi perspectam habeat necessum est. *Methodum concionandi.*

Non enim potest juxta *Oratoriam Ecclesiasticam* formare concionem, si illam juxta cum ignarissimis sciat. Nec verò satis est ex *Postillatore* aliquo exscripsisse concionem, eamque memoriter recitalle, quia hic non *exercitium memorie* desideratur, sed *informatio Ecclesie*, ad quam aliqua opus est *prudentiâ*. Et si turpe est in publico recitare Oratiunculam ab alio elaboratam, vel præscriptam, atque ita alienis se efferre plumis, non minus turpe erit concionem aliquam edidicisse, quam aliunde transcripseris. Si qui verò se exercere omninò discipiunt, nec satis ab eruditionis Theologicæ suppellectile dispositi sint ad elaborandas conciones, illos præstat aliorum labo-

ribus lacris dextrè elaboratis uti, quam  
 studia sua incerta, cum offendiculo,  
 piarum aurium, & periculò *επεροδοξίας* ac  
 confusionis turpis ac vitiosæ, quam  
 rudis indigestaque moles parit, ad  
 Cathedram pertrahere; cum eo sine  
 conscriptæ sint ab aliis Homiliæ, ut  
 habeant imperiti, quæ adhibere cum  
 fructu proprio & ædificatione Ecclesiæ  
 queant. Quod autem ad *Methodi-*  
*cos Autores* attinet, non pauci extant,  
 qui de concionandi Arte scripserunt,  
 inter quos & nostris præcipui sunt.  
*D. Jac. Andreæ* in methodo concio-  
 nandi; *D. Hunnius Senior*; *D. Lucas*  
*Bacmeister* & *D. Lucas Osiander*, de mo-  
 do & ratione concionandi. Adhæc  
*Andreas Pancratius* in concionandi Me-  
 thodo, *D. Christophorus Schleupnerus*  
 de quadruplici ratione concionandi,  
 ut & *Dn. D. Johan. Hülsemannus* in O-  
 ratoriâ Ecclesiasticâ. E *Reformatis*  
 verò eminent præcipuè *Bucani* Eccle-  
 siastes, *Hyperius* de formandis concio-  
 nibus, *Wilbelmi Zepperi* ars habendi &  
 audiendi SS. conciones, *Amandi Po-*  
*lani* institutio de Methodo concio-  
 num. *Methodus Nic. Hemmingii*, & *Sutt-*  
*livi*



lvii; *Abrahami Sculteti* Axiomata concionandi practica, *Orator Ecclesiasticus Alstedii*, & *Lud. Crocii, Keckermani* Rhetorica Ecclesiastica, ut & *Wilhelmi Perkinsii* Prophetica, & *Matth. Martinius*, de promptâ rerum meditatione. E *Pontificiis* deniqve Ecclesiasticam Rhetoricam ediderunt *Ludovicus Granatensis* & *Franciscus Savanorola*; de modo etiam concionandi scripserunt *Didacus Stella*, *Jacob. Peregrinus* &c: Ex hisce unum atqve alterum evolvat Studiosus Theologiæ, & cum primis *D. Schleupneri*, & *Dn. D. Hülfemannii* tractatus, & inde sese instruat de modo & artificio concionandi, priusquam ad praxin se conferat.

II. Ad praxin Concionatoriam vel imprimis conducunt LL. CC. Practici.

*Praxis  
Concionatoria.*

Tales sunt, qui vel ab aliis collecti jam habentur, quorum operâ hic cum fructu uti possumus, vel qui proprio Studio colliguntur, quod etsi laboriosius, dubium tamen nullum, quin etiam sit fructuosius. Ex illis, qui LL. CC. Practicos, vel iisdem inservientia colle-

collegerunt, adhiberi possunt, *Theſaurus Vogelii, Concordantia Crellii, Wegweiser Dn. Crameri, Petri Ravanell. Theſaurus*, quorum conducent & *Dn. Dieterici LL. CC. in Analyſi Evangeliorum*, ſi per indices legantur & iſtudentur, ut & alii Homiletici Scriptores, indicibus ejuſmodi iſtructi; item e Papiftis *Lexicon Petri Pertorii; Apparatus Labate, Sylva Allegoriarum Lauretti*. Quod ſi proprio ſtudio colligi debeant, proponit de eotale conſilium *Dn. Hiilſemanni*, in Orat: *Eccleſ. c. 5.* Ut in certo codice ſecundum decalogi præcepta virtutes & vitia ordinentur, & ſingula per quælibet cauſarum genera deducantur, utpote 1. per *Didacticum*, 2. per *Elencticum*, 3. per *Pædeuticum*, 4. per *Epanorthoticum*, 5. per *Paracleticum*. Cum verò jam monſtratum ſit, quomodo tum *Moralia*, tum *Conſolatoria*, diſtinctis voluminibus colligi queant, & de *Didacticis* ſuprà actum ſit, vix peculiari hic codice opus erit, quandoquidem e prædictis omnia haberi queant; Ea quæ ad Genus *Didacticum* & *Elencticum* pertinent, e *LL. Didacticis*, quæ ad *Pædeuticum* & *Epanorthoticum* e *LL. moralibus*, quæ deni-

deniqve ad *Paracleticum* genus è *LL. consolatoris*: nisi forte quis malit uno volumine expedire omnia *Practica*, & de quovis Themate in illo consignare, quæ ad ejusdem deductionem faciunt per varia illa genera, ut eò citius in promptu illa omnia habeat.

IV. Ad elaborationem concionum faciunt præter realia, eorumq; concinnam dispositionem, tum formulæ loqvendi, tum ornatu oratorius. *De ornatu Oratorio, & formulis loqvendi:*

De his ergò adhuc quibusdam monendum, quomodo illis incumbere debeat *Studiosus*. *Ornatus* Oratorius quidem, tum è præceptis *Rhetoricis* communibus, tum in specie ex *Oratoriâ Ecclesiasticâ* constat. Sed observanda cum primis schemata, & elegantia in *SS. literis* occurrentes, quibus præ aliis exornabitur concio: De Figuris videatur *Försterus*, in *Methodo concionandi*. Quod ad *formulas loqvendi*, consultum videtur iis præferri, qui paulò diligentius studium *Practicum* tractant, ut librum peculiarem iis destinent, in quo potissimum *duplicis generis*

neris formulæ annotari possunt, ut  
 pote *connectendi*, tum *affectus moven-*  
*di* &c: Quarum nonnullæ exhiben-  
 tur à *Förstero* l.c. Videri etiam possunt  
 formulæ apud *Bucanum* in *Ecclesiaste*  
 p.1. *Alstedium* in *Orat. perfecto*, p. 136,  
 & *Theol. Prophet.* p. 53. Quomodo jux-  
 ta quinque genera formulæ adhibendæ  
 sint, præscribit imprimis *D. Hülfemannus* c. 10, *Orat. Eccles.* variasq; è scriptu-  
 ris collectas ibidem exhibet. *Formu-*  
*la affectus movendi* seu *Pathologica* pa-  
 riter juxta genera quinque distribui  
 possunt, ut observetur primò, Quæ in  
 genere *Didascalico* & *Elenctico* sunt in-  
 signiores formulæ *narrandi*, *proponen-*  
*di*, *affirmandi* vel *asseverandi*, *commen-*  
*dandi*, *excipiendi ad prolepsin* & per *δι-*  
*υποφοράν* &c. Quæ in genere *Pædæ-*  
*gogico* sint formulæ *adhortandi*, *suadendi*,  
*optandi* vel *petendi*, &c.

III. Quæ adhiberi debeant formu-  
 læ in genere *Epanorthotico* *accusandi*,  
*querendi*, *comminandi*, *corrigendi*, *dehor-*  
*tandi*, *dolendi*, &c: Quæ denique IV. in  
 genere *παράκλητικῶν* debeant usurpari  
 formulæ *consolandi*, *condolendi*, *commi-*  
*serandi*, *promittendi*, &c: De his manu-  
 ductio

ductio quædam videatur apud *Alstedium* è Reformatis in Præcogn. p. 200, apud *Granatens.* è Pontificiis lib. 3. de ratione concionandi, cap. 9. & cum primis apud D. *Hülsemannum* è nostris cap. 12. Orat. Eccles. collectis ab hisce formulis, quibus placet alias adjungere, consimiles è quotidianâ lectione adjici possunt. Plurimum autem singulari habent <sup>ἐπιφυλακῆς & δευτέρως</sup> ex, quæ ab ipso Spiritu Sancto adhibita sunt formulæ in Sacris literis, in percullendis & efficaciter commovendis animis, quibus tamen ex aliis Autoribus insigniores, quæ observantur, subinde addi poterunt, pensi habito ordine juxta classes prius indicatas. Atquæ hæc de studio

*Homiletico.*



CAPUT

## CAPUT VII.

De

STUDIO THEO-  
LOGIÆ CASUA-  
LIS.

*Casualis  
Theologiæ  
Stud.*

**H**Æc de Homiletico Studio.  
Superest, ut agamus in Theo-  
logiâ Practicâ de Studio Casua-  
lis Theologiæ.

*Cur seor-  
sim hîc  
expenda-  
tur?*

Hoc enim neque ad *Asceticum* ac morale proprie facit, [cum aliud sit *Conscientiam* in dubiis casibus informare, aliud *virtutes* inculcare, & à vitiis dehortari] neque ad *Homileticum* Studium pertinet, istisqve merito quoad *doctrinæ ordinē* posterius statuitur, tum, quod *singularia* concernat, tum, quod difficilius sit cœteris Studiis, tum, quod eadem etiam necessario præsupponat.

Casualis autem Theologiæ Studium est, quod occupatur in iis, quæ ad *Conscientiam* informandam in casibus dubiis faciunt, ut  
vel

vel erigantur, vel emendentur,  
aut constituentur.

Prolixissimum hoc studium est, imò nullis fere terminis aut limitibus circumscriptum, cum Casus dari possint innumeri, nec à Studio Theologiæ requiratur eorum, quæ de Casibus Conscientiæ tradita sunt, peruestigatio; interim non omninò negligendum id est, præsertim ab iis, qui progressus jam fecere in cæteris Studiis Theologicis, cum ex similibus quorundam solam Casuum decisionibus de aliis etiam postmodum queant ferre iudicium. Revocamus autem ad hoc Studium quoque ea, quæ ad Ecclesiæ faciunt *εὐσχυμοσύνην*, de quibus in *Agendis Ecclesiasticis*, ut de iis futurus Ecclesiæ minister aliquo modo informetur, & imprimis quæ concernunt informationem *Conscientiarum, agrotorum, moribundorum, &c.*

## CANONES.

I. In Casualis Theologiæ studio non opus, ut quis se immergat *Quæ hic legenda sint?*

gat vastissimis *Cassistarum* voluminibus, aut *Summulistarum*, vel *Canonistarum*, dum saltem delibet summè necessaria.

Nam neque tempus *Studioforum*, neque ætas ac iudicium id permittit, quod longâ experientiâ jam subactum esse debet, cum talia suscipiuntur, nec cum fructu conjuncta est opere digno tam vastorum operum perustratio, in quibus sæpè magis spinosa & scandalosa, quam fructuosa & salutaria occurrunt. De *Pontificiis* loquor, quorum heic prostant & plaustra voluminum ingentia, & magna *Cassistarum*, *Canonistarum*, atque similibum copia, ut sunt *Navarri*, *Anchorati*, *Angeli de Clavasio*, *Aspilcueta*, *Azorii*, *Fernandis Bonacina*, *Diane*, *Toleti*, *Filijacii*, ut & *de Castro Palao*, & aliorum plurimorum scripta, quorum integra examina videantur in *Possev. Bibliothecâ selecta*, ut de *Canonistis*, *Hoftiensis*, *Hugone*, *Brochinonensi*, *Friderico de Senis*, *Flaminio Parisio*, *Chapevilla*, & *Francisco Caridano*, aliisque plurimis nihil dicamus. Si verò *Synopticos* hic quis



quis adhibere velit è Papistis tractato-  
tores, compendium *Diane* aut *Molani*  
Theologiæ Practicæ, vel Aphorismos  
Confessionarios *Emmanuelis Saa*, vel  
etiam *Toleti* Instructionem Sacerdō-  
rum consulat, vel addat quoque pau-  
lō prolixiorē *Azorii* Theologiam  
moralem, E *Reformatis* huc faciunt,  
qui de Casibus Conscientiæ scripsere,  
*Perkinsius*, *Amesius* & *Alstedius*. Sed  
consulendi heic cum primis nostri  
*Dn. D. Balduinus* in Casibus Conscien-  
tiæ, *Dedekinnus* duobus voluminib.  
Consilior. Theolog. *Confilia Bidembachii*,  
*Mengeringius* in Scrutinio Con-  
scientiæ Catechetico, *Dunte*, ut &  
*D. Brochman.* in Syst. Theol. Multa  
etiam huc facientia habentur in ope-  
ribus *B. Lutheri*, in Consiliis *Phil. Me-  
lanct.* in Tomis *Gerhardi*, Miscella-  
neis *Dn. D. Waltheri* &c: Ad Politiam  
Ecclesiasticam faciunt è *Pontificis*  
*Mart. Svarez* de Practicâ & ordine vi-  
sitandi, *Augustinus Borbosa* de Paro-  
chis, ut & de jure Ecclesiæ universo, &  
*Sauri* clavis Sacerdotum, *Renatus Chop-  
pinus* de Sacrà Politia, &c: E Refor-  
matis *Zepperus*, ut & *Parckeri* de Po-  
litia

litiâ Ecclesiasticâ, Voëtii disp. de potest. Eccles. de jure Patronat. de Synod. itemqve *Marc. Antonius de Domin. de Hierarchiâ Ecclesiasticâ Salmasius &c.* E nostris tractatus de Ministerio Ecclesiastico *D. P. Tarnovii, & D. Gerhardi Pastorale Lutheri, & Agendæ variarum Ecclesiarum.* De *Episcopis* peculiari- ter videantur *Petavii & Salmasii* scri- pta amœbæa: ut & *Dido Clavii* *Altare Damascenum, Matth. Steph. de Clericis, Prælati, de jure personarum extra Ec- clesiam Antonii Ricciulii, adde & Filsacii & Augustini Borbosi de Episcopis, Ve- selii de Episcopatu Constant. M. Tri- glandi de Civili & Ecclesiastica potesta- te, Jacob. Revii Exam: Maresius, De- matius, Apollonius, Lavenus, Bilsonus, de gubernat. Eccles: &c: De Conjugiali- bus negotiis vid. Sarcenius, Bugenba- zius, Hemmingius, Wigandus, Tarnovius Mentzerus & Beza de Polygamiâ & di- vortii: item Sanchez aliiq; è Ponti- ficiis. Nec non è Jctis *Beustius, Alber- tus Gentilis, Arniseus &c: De Consti- torialibus* videatur *Dedekinnus* in vo- lum. *Consil. de Matrimonio & divor- tiis, itemqve decisiones Consistoria-**

les *Carpzovii*; *Dn. D. Anan. Weberi* de Consistor. Qui in variis Practicis inspicere etiam cupiunt decisiones Pontificum, reperient eas in *Jure Canonico*, *Bullario Romano*, ejusque compendio *Flavii Eberubini*, *Constitut. Pontificum Quaranta*, &c. Suffecerit autem hîc Studioso Theologiæ, vel unicum tractatum aureum *Baldolini* de Casibus Conscientiæ evolvisse, cætera judicio maturiori, & experientiæ relinqvenda.

II. Casus Conscientiæ digeri possunt, vel secundum L.L. Theologicos, vel secundum partes Catecheticas, vel etiam propriâ ac peculiari Methodo.

*Method.*  
*Casuum*  
*Consc.*

Priorem methodum observavit *Dn. D. Bröckmannus* in *System. Theologiæ*; alteram *Dn. Mengerius* in *Scrutinio Catech.* ut & *Alstedius*. Peculiari Methodo digessit eosdem *Dn. D. Balduinus*, quæ procedit secundum diversa objecta, quæ Casus occurrunt vel de *DEO*, vel de *Angelis*, vel de *hominis animâ, corpore, fortunâ, &c.*

Aliis tamen aliam sequi placet Methodum, præsertim Pontificiis. *Antonius Fernandes* casus expedit 1. secundum 10. Decalogi præcepta, 2. juxta scita Ecclesiæ, 3. juxta 7. Sacramenta Papistica, 4. denique juxta diversos status hominum. Pleraq; autem revocari possunt commode ad prædictam *Dn. D. Balduini* Methodum, vel certè addentur haud difficulter alii tituli, ceu supplementi loco, si fortè apud alios deprehendantur, quos per modum *indicis* solum adjicere suffecerit, seu *remissivè*, ut eos reperiri liceat Autores, qui de his vel illis tractant casibus.



CAPUT VIII.

De

STUDIO HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ.

Fuerunt ita Studia primaria, *Secunda-*  
Biblica & quæ eò faciunt, *ria Stud.*  
cedunt nunc *secundaria*, utpo- *Theolog:*  
te *Ecclesiastica*, quæ duplicis  
sunt generis: alia occupantur  
circâ *historiam Ecclesiasticam*, *de Histor.*  
alia circâ *Vererum Ecclesiæ Do-*  
*ctorum scripta*. *Ecclef.*

Historia Ecclesiastica est vel *uni-*  
*versalis* vel *specialis*, & hæc vel *anti-*  
*quior* vel *recentior*, quæ utraq; cogno-  
scenda venit. Indigitamus heic  
*Ecclesiasticam* Historiam eam potissi-  
mum, quæ à *Biblicâ* distincta est, vel,  
quæ è *Scriptoribus non Canonicis*, sed  
*Ecclesiasticis* hauritur, eamq; dicimus  
*secundariò* tantum requiri, *Biblicam*  
verò Historiam ad *Objecta primaria*  
Studii *Theologici* pertinere, extra du-  
bium est. Distingvitur autem Historia  
Tt 4 in

in *Universalem*, inde à primis Ecclesie incunabilis ad hanc usque ætatem, & *specialem*, quam historiam Vet. & Nov. Testamenti, quæ vel superiorum est Sæculorum, vel proximè elapsi & moderni sæculi, quam recentiore[m] dicimus.

## CANONE S.

*Synopsis  
Histon.*

I. In Historiâ Ecclesiasticâ ante omnia universalis quædam Synopsis percipienda est.

Talis est Synopsis vel Syntagma Historiæ Ecclesiasticæ *Dn. D. Micraelii*, quò & Vet. & Nov. Testamenti historia exhibetur. Quo diligenter evoluto, propter historiam Nov. Testamenti specialius cognoscendam Epitome *D. Pappi*, sive *qualis* ab autore prodiit, sive prout à *L. Eusebio Bohemo* aucta est, percurratur ac familiaris reddatur. Ubi congiungi etiam poterit Epitome *Dan. Paretii* ac *Thesaurus Chronolog. Alstedii*.

*Accurat.  
cognit.*

II. Accuratior cognitio Historiæ reservanda posterioribus Studii Theologiæ temporibus.

Stu-

Studium hoc in certas Clases distribui potest. *Prima* continet tempora *Vet. Testamenti*, ubi cum codice *Biblico*, *Josephus de Antiquitatibus Judaicis*, *Opera Philon. Judai*, ut & *Annales Salliani* consuli possunt. E *Judæis* videatur *Seder Olam* *Chronicon Judæorum*, ut & *Chronologia David Gans* cum notis *Vorstii*.

*Secunda* Clasis concernit *Historiam Nov. Testamenti*, quoad priora sex seculis. Ubi è veteribus legi possunt *Eusebius*, *Ruffinus*, *Socrates*, *Theodoretus*, *Sozomenus*, *Theodorus*, *Evagrius*, & *Dorotheus*, qui uno volumine prodire *historiam fere 6. Seculorum* absolventes. Itemque *Tripartita Casiodori*, quæ ex illis est concinnata, ut & *Nicephori Callisti historia Ecclesiastica* &c: E nostris recentioribus adhiberi possunt *Centuriæ Lucae Osiandri*, & cum primis *Centuriæ Magdeburgenses*, opus lectione dignissimum, quod *Lucius* edidit denuò *Calvinianus Basileensis*, sed castratum præfationibus longè utilissimis, nominibusque autorum, ut videri possit proprium, omisissis. E *Reformatis* operam utilem

præstitere *Joseph. Scaliger* lib. de emend. temporum, & *Notis in Eusebium*, *Casaubonus* in *Exercit. in Baronium*, & qui eum defendit *Carolus Caspellus*. E Pontificiis conferri possunt *Torniellus*, *Baronius*, ejus Continuator *Abrah. Bzovius*, quæquam plurimis commentis refertissimi. E Baronii Epitomatoribus præfertur *Spondanus*.

III In tertiâ Classe succedent historiae inde à sexto usq; ad decimum Seculum, ad quas cognoscendas, juxta cum illis, quos è nostris laudavimus, conjungi possunt *Historici Orientales*, *Zonaras*, qui usq; ad annum 1117 Historiam expedivit, *Nicetas*, qui usq; ad annum 1203 ab illo scripsit. *Nicephorus Gregoras*, qui ab hoc anno usq; in 1341 historiam concinnavit, & *Laonicus Chalcondylas*, qui ab anno 1294 historiam persecutus est usq; ad annum 1462. Tum quoque *Historici Occidentales*, *Beda* in *Chronico*, & *Historiâ Anglorum Ecclesiasticâ*, procedens ad annum 731. *Gregorius Turonensis* in *Francorum Historiâ* usq; ad annum 735. *Fasciculus temporum* usq; ad annum 1471. *Sigbertus Gemblacensis* qui historiam



Historiam tractat ab anno 381, usq; ad annum 1112. *Honorius Augustodunens.* usq; ad annum 1138. *Otto Frisingens.* ad annum 1146. *Chronicon Hirschangense* ad annum 1370 Conf: hic *Vossius* de *Histor. Græc. & Lat.*

*Quarta* Classis historiam à decimo sæc. usq; ad tempus Reformationis B. LUTHERI complectitur, ubi, præter Historicos jam laudatos, consulendi sunt *Illyricus* in Catalogo testiū veritat. *Ortobrinus Gratius* in Fasciculo rerum expetendarum, vitæ Pontificum *Anastasi, Stelle, & Platine, Historia Conciliorum* istorum temporum, *Usserius* de successione Ecclesiæ in Occidente, *Lectiones Memorabiles Wolfii, Historia Waldensium*, de quibus *Balth. Lydius*, Et quæ de *Scholastica Theologia* origine & progressu edita habentur &c: *Magdeburgenses Continuatores* pertinent usq; ad seculum XIV. Cætera persequitur *Osiander in Centuriis.*

*Quinta* Classis historiam concernit inde à Reformationis tempore usque ad nostram ætatem, de quâ *Osiander* è nostris, *Sleidanus, Chronicon Peuceri, & Melanct.* *Historia Augustanæ*  
Con.

Confession. *David. Chytrai, & D. Cælestini, Historia* item *A. C. à Selneccero, Kirchnero, Chemnitio* contra *Wolffsum* edita, ut & *Syntagma Dn. D. Micralii*. E Pontificiis fabulosi sunt plerique *Surius, Bzovius, &c.* mendaciis etiam suas res lexornant *Calviniani*, maximè *Hospinianus* in *Histor. Sacramentaria. Pertz.* in *Mellific. cum Supplemento Lampadii*; sed illi satisfacit *Hütterus* in *Concord. Conc.* Hunc castigavit *Dn. D. Höe*, ut & *D. Job. Dieteric. &c.* Pertinent huc quoque *Colloquiorum acta, & historia*, quorum Catalogum designat *D. Micralius*, item *Theologorum vita Melch. Adami &c.* *Historiam Anabaptistarum* præter *Wigandum* texit *Bullingerus*, & ex parte *Fried. Spanhemius*. *Historiam Jesuitarum* *Hospinianus, Hasenmüllerus, Lud. Lucius* exhibent &c. Cæterorum hæreticorum Catalogum exequitur *Schlüsselburgius &c.*

Certa capita in Lection. hist. Eccles.

III. In lectione historiae Ecclesiasticae certa capita veniunt attendenda, ad quæ omnia quæcunque observantur, revocanda sunt.

Conse-

Consilium præcipui Theologi hoc subministrant, ut potissimum ea attendantur capita, quæ in *Centur. Magdeb.* observantur, ubi per singulas Centurias agitur primò de *sede Ecclesiæ, & propagatione*. 2. de *persecutione & tranquillitate ejusdem*, 3. de *doctrinâ*, 4. de *heresibus*. 5. de *ritibus & ceremoniis*, 6. de *gubernatione Ecclesiæ*, 7. de *Schismatibus*. 8. de *Synodis*. 9. de *personis, Episcopis & Doctoribus*, 10. de *Martyribus*, 11. de *miraculis*, 12. de *religionibus extra Ecclesiam*, 13. de *statu Imperii Politico*. Porro uti XIII illa capita per singulas ætates vel Centurias deducta sunt à Magdeburgensibus, ita, quæ ad idem caput pertinent quoad singula secula, secundum ordinem eorundem summam revocentur sub unum Caput, ut v. gr. de *sede & propagatione Ecclesiæ* agatur. 1. Capite facto initio à seculo primo ac cõtinuatione per reliqua secula usq; ad finem, ut non fiat digressio ad alia, donec hoc caput per omnia secula deductum fuerit, sed solum per modum *Compendii & Epitomes* ex illis Centuriis. Atque ita de cæteris similiter Capitibus.

Quod

Quod verò attinet ad Centurias, quæ  
 desiderantur in Magdeburg: (quarum  
 tamen una adhuc completa ferè à Dn.  
 D. Wigando concinnata *ἀνεκδότος* ex-  
 tate dicitur in Bibliotheca Dn. D. Job.  
 Corvini p. m.) in illis quæ ad singula  
 Capita faciunt, colligenda erunt ex su-  
 pra laudatis Autoribus D. Osandro,  
 D. Wigando, & D. Schlißelburgio Cata-  
 logo Hæreticorum, quibus addantur  
 Lectiones & Historiæ memorabiles  
 Wolffii, Chronicon Ecclesiasticum  
 D. Cramerii, Historia Johannis Clu-  
 veri. Conferendi etiam particulares Scri-  
 ptores nonnulli, utpote *Baleus* in Cen-  
 turiis, *Jacobus Ußerius* in Britannica  
 & Hibernica Historia. *Chytraeus* in  
 Saxonica, *Micraëlius* in Pomerania sua,  
 Dn. D. *Mislenza* in Historia Prusicæ  
 Ecclesiæ seu Manuali Prutenico; *Bel-  
 gicæ* Ecclesiæ Historiam persequitur  
*Rosverdus* Pontificius & *Henricus An-  
 tonides* in Præfat. Syst. Thesium. Hi-  
 storia Gallicanæ Ecclesiæ aliquot Tomis  
 per *Bosquetum* an. 1636 edita habetur,  
 quo & *Decreta Ordinum Belgii* simul  
 edita faciunt; *Bohemica* historia ex  
 Epitome *Johan. Lesbi*, & historia  
*Husi.*

*Huſitarum colligitur. Germanica Eccleſiæ* *Historia ex Auguſt. Conf. ut & Formule Concordiæ* *hifloricis ſcripturibus conſtat. De hifloria Arætoæ* *Lucius Paulinus Gothus commonefacit. Æthiopum Religionem & Eccleſiam* *deſcribit Nicolaus Codignius Jeſuita & Athanaſius Kircherus in Copto-Prodromo. Evychius origines exhibet Eccleſiæ Alexandrinæ cum Comment. Johannis Seldeni. Elmaſini extat* *Historia Saracenicæ Arab Latinæ, ut & hifloria Arabum Roderici Toletani. De aliis videatur Philippus Nicolai libris de regno Chriſti &c.*

IV. Chronologia ſacra paulò *Chronologia Sacra.* diligentius inveſtiganda omnibus qui accuratius Theologiam pertractant.

Facit enim ad plurimum locorum Scripturæ explicationem, *εὐαγγέλιον* *Παύλων* conciliationem, *Historiæ ſacræ* lucem generat, præcipuis fidei capitibus fundamentum præbet, utpote de *adventu Meſſiæ* &c. ac vaticiniorum intellectum aperit & complementum patefacit. Ejus vero gratiâ præter di-

diligentem sedulamque lectionem & animadversionem *Historie Biblicae*, & *Epocharum ac Supputationum annorum* in eis occurrentium. 1. *Isagoge quaedam Chronologica*, de instituenda Computi Chronologici ratione evolvenda, qualis est v. g. *Alstedii* in præcognitis *Scaligeri* Canones Isagogici, *Calvisii* *Isagoge Chronologica*, ut & *D. Joh. Behmii*.

2. *Legenda Synopsis* aliqua Chronologica paulò accuratior. Placet inter alia *Philippi Lansbergii* *Chronologia Sacra*; Conf. *Dav. Pareus* & *Jacobus Capellus*, *Chronicon Tirini*, *Chronologia Mercatoris* &c.

3. *Perlustranda* proluxior Chronologia, in quâ *Synchronismi* etiam attenduntur, ceu sunt *Sethi Calvisii*, *Behmii*, *Helvici*.

4. *Conferendi Chronico-Historici* sive *Veteris Testamenti* tantum, sive *Novi Testamenti*, sive *utriusque*, admiscentes historias Chronologicis paulò ductius, qualis est *Salianus* in *annalibus*, *Torniellus*, *Baronii* *Epitomatores*.

5. Non negligendi, qui controversas

has diligentius exequuntur, *Chronologias Sacras*, *Scaliger* de emendatione temporum in notis ad Eusebium, *Dionysius Petavius* de emendatione temporum, *Samuel Petitus* in Eclogis Chronologicis, & variis lectionibus, *Clavius*, *Keplerus*, *Dn. Dn. Eichstadius*, itemque *Vossius* de vero anno natali Domini &c.

6. Proderit cum primis difficultates *Chronologicas* in Bibliis occurrentes observare, peculiari consignatas libro, vel etiam adscriptis singulis ad loca Scripturæ in Codice sacro unâ cum autoribus, qui fortè nobis occurrunt illa expedientes, vel summarîâ etiam eorundem resolutione ex illis petita. Sed hæc & de *Studio Historico* impræsentiarum. Conferatur præcedentis articuli

Cap. 3.

OS (O) SO



Va

CAPUT

## CAPUT IX.

De

## STUDIO PATRUM.

Alterum Studium secundarium est Patrum lectio.

*Secundarius* lectionem Patrum accensemus, quia Patres non sunt veritatis norma aut principium, neque *πρωτης*, neque *δευτερας*, sed tantum *testes* & *precones*. Sola enim Scriptura Sacra norma est & principium fidei, quandoquidem omne principium fidei debeat esse *infallibile*, fideique divinae generandae proportionatum. At Patrum Scripta neque *seorsim*, neque *conjunctim*, simul sunt *infallibilia*, nedum fidei generandae Divinae proportionata. Ideoque merito Hieronymus in Epist. ad Theophilum. *Aliter habeo Apostolos, aliter reliquos Scriptura tractatores, illos scio semper vera dicere; hos ut homines in quibusdam errare*. Interim non negligenda lectio S.S. Patrum, ob varios, quos praestant usus, tum *historicos*



*Historicos*, quod de Canone doctrinae genuino, deque doctrinae Coelestis & Ecclesiae conservatione testentur, tum *Dogmaticos & Elencticos*, quod in *Elencho* juxta Scripturas instituendo faciem nobis quandoque praferant, & κατ' ἄβρωπον adversus *Pontificios* ut & *Novatores*, cum primis adhiberi possint utiliter; tum *Exegeticos*, quod in Scripturae interpretatione non parum inserviant, ut *Hieronymi*, *Chrysostomi*, *Theodoreti* exemplis constat: tum denique *Practicos & Asceticos*, quod in *Moralibus & Homiliticis* magno cum fructu adhiberi queant, ac nervosis suis sententiis *adhortationes & consolationes* mirifice acuunt ac instar gemmularum coruscantium non raro egregie condecorant.

Sub lectione Patrum complectimur Conciliorum, tum monumentorum Patrum vel Veterum Ecclesiae Doctorum evolutionem.

Considerantur enim Patres vel *collectivè* in Concilio, vel *seorsim* quae privata scripta, unde à Studio An-  
tiquitatis & Concilia legenda veniunt,

& Patrum Orthodoxorum monumenta.

De Con-  
ciliis.

Concilia alia sunt Oecumenica, alia Particularia: Illa sunt potentissimum sex: Nicenum contra Arium, Constantinopolitanum contra Macedonium, Ephesinum contra Nestorium, Chalcedonense contra Eutychem, Constantinopolit. II. contra Theodorum, & Constantinop. III. contra Monotheletas celebratum. Particularia Concilia plura sunt numero, sed minoris autoritatis.

Pontificii quidē recensent plura Concilia *Oecumenica*: sed ea reverā *Oecumenica* non sunt. *Bellarminus* Octodecim enumerat *approbata*, & alia ex parte solam *approbata*, ac deniq̄ve *provisis reprobata*. Sed fallitur Cardinalis, dum ē Pontificis Romani approbatione *αὐθεντίαν* Conciliorum dependere supponit, de quo alias.

Distribut.  
Conciliar.

Patrum ætas triplex assignari potest. Prima est usq; ad primum Con-

Concilium generale. Secunda usq; ad postremum. Tertia inde usque ad Scholasticorum primordia.

Prima ergò ætas sese porrigit usq; ad *Concilii Niceni* tempora, quod celebratum anno 325, ac tria fermè secula cõplectitur inde ab ætate Apostolorũ. Altera ætas identidem se extendit per tria secula usque ad *Concilium Trullanum* seu annum 681. Tertia usq; ad tempora *Scholasticorum*, quod complectitur circiter V. secula usque ad *Lombardum* sententiarum Magistrum, qui circa annum 1072 vixit. Alii Patrum ætatem extendunt tantum ad 600 à CHRISTO nato annum, nimirum ad *Gregorii M.* ætatem, quod tunc Antichristus publicè erumpere cœperit. Sed quia generale *Concilium sextum* ab omnibus recipitur, & Ecclesiæ Doctores Patribus communiter annuerantur, qui non tantum proximo ab illo seculo floruere, *Anastasius, Sophronius, Damascenus, Beda*, sed etiam qui seculo III. ab isto Concilio Oecumenico docuerunt, *Phocius, Haymo, Raba-*

Rabanus, uti & quartò Oecumenius, Theophylactus, Euthymius, imò etiam quintò Anselmus, Bernhardus, & alii; proinde ad XII seculum usq; à nato Christo Patrum ætas extendenda videtur, tametsi *tertia ætatis Patres* tantæ minimè autoritatis habeamus, quantum habendi sunt *primæ vel secundæ ætatis Doctores*.

## CANONES.

Concilio-  
evol. sum-  
maria.

I. Conciliorum evolutio summaria præmitti potest perlustrationi Conciliorum integrorum.

Huc faciunt 1. *Chronologia Conciliorum*, quæ in *Alstedii Chronologia* habetur, unde superficialis quædam cognitio in antecessum hauriri possit. Confer. *brevis historia Conciliorum Gabrielis Prateoli* cum notis *Johan. Lydii*. 2. *Summas Conciliorum* exhibet *Epitome Barthol. Carantæ*, ad quæ summam cognoscenda facit quoque *Gesnerus* libris de Conciliis. 3. *Canones Conciliorum* editi extant *Græco-Latini* cum *Commentariis Justelli*. ex parte & *D. Pappi Epitome*. Hinc 4. accedatur ad *Acta & Tomos Conciliorum* perlustran-

strandos, quos edidit *Laurentius Surius*, ut & *Petrus Grabbius*, ac novissimè *Severinus Binius*; Extant & *Tomi Conciliorum Gallia* cum notis *Sirmundi*, & *Decreta Ecclesie Gallicana Bochelli*. Ad *Concilium Nicenum* conferantur *Gelasii Cyziceni* acta, ad *Canones Apostolorum & Conciliorum* commentatus est *Zonaras*, sed *Canones Ecclesie Africane* edidit *Iustellus*. Conferri etiam potest *Papatus Conciliis desudatus Dn. Lic. Rhawen*, & quæ in *Centuriis Magdeburgensibus* habentur de *Conciliis quorumvis seculorum*. Advertantur autem cum primis circa *Concilia*, quid hoc vel illo *Concilio* fuerit definitum, adversus quem, quomodo, quo exitu, & quæ aliæ circumstantiæ observatu dignæ occurrunt.

Ætas quorumvis Patrum animo imprimenda est diligenter, ut quo seculo vixerint, quâ occasione, & quomodo scripserint constare possit.

Solent nonnulli hoc specimine sese admodum ostentare, (quasi Patres omnes devorârunt, inque iis sint versatissimi, qui pleròsq; vix inspexerunt)

dum scilicet per secula reconferent Patrum testimonia undicunqve corrasa, & qualibet cunqve occasione vel allegatione semper tempus, quo Patres florere, subjungunt, & ætatem eorum computant. Sed ad eam cognitionem facile possunt adspirare tyrones quivis, & quidem ut sciant non tantum, quæ ætate Patres floruerint, sed etiam contra quem hi vel illi, aut quæ occasione scripserint, quovè utantur scribendi genere. Ad Patrum ætatem vel *Chronologia* illa brevicula *Patrum Alstedii* sufficere poterit, quæ plerumqve celebriores recensentur in ejus *Chronologia*. De occasione verò & aliis monitu necessariis, præter perustrationem indicum tractatum, & capitum *Erasmus* in suis eruditissimis præfationibus in Patres, ut & *Rivetus* in *Critico S.* (ne de aliis jam dicam,) commonefaciet. Ut compendiò habeatur summaria quædam cognitio, hæc subjungimus. Primæ Ætatis Patres præcipui sunt sæculo primo *Dionysius Areopagita*, cujus tamen opera, si non prorsus supposititia, certè admodum dubia sunt, *Clemens Romanus*, cui

Canones & Constitutiones tribuuntur, sed falso. *Hermes*, cujus Pastor est Apocryphus. *Ignatius*, cujus Epistolæ extant, sed non omnes genuinæ, & hæc quoque non parum interpolatæ, ut *Editio Usseriana* imprimis edocet. *Polycarpus*, cujus Epistola ad *Philippenses* habetur, sed itidem interpolata, Altero seculo *Justinus Athenagoras*, *Theophilus Antiochens*, *Irenæus*, & *Clemen. Alexandrinus* florere, quorum scripta habentur, eaqve Græca, licet *Irenæus* integer Græcè non extet. Seculo tertio è Græcis *Origines* floruit, & è Latinis *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Minutius Felix*, *Arnobius*, *Lactantius*. De istorum scriptis legatur medulla Theol. Patrum *Sculteti*. In Secunda ætate à Concilio Niceno florere scriptis ad nos transmissis celebres quarto Seculo *Athanasius*, *Macarius*, *Eusebius*, *Gregorius Nyssenus*, *Basilius M.* *Epiphanius*, *Cyrillus Hierosolym.* *Gregorius Nazianzenus* Græci Patres: Et è Latinis *Hilarius*, *Ambrosius*, *Hieronymus*. Quinto seculo Græci claruerunt *Chrysostomus*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Theodoretus*, *Phylaxirius*, *Isidorus Pelusiota*, Et è

Latinis Optatus Millev. Augustinus, Leo,  
 M. Gennadius, Prossper Aquitanicus. Seculo  
 Sexto Vigilus, Gelasius, Fulgen-  
 tius, Casiodorus, Gregorius Magnus, ut  
 & Isidorus Hispal. & Aretas. De prio-  
 ribus etiam conferri poterit Medulla  
 Sculteti. Tertiae aetatis sunt inde à Con-  
 cilio Constantinopolit. tertio, qui seculo  
 VII & VIII. florere Anastasius, So-  
 phronius, & Damascenus Græci, Beda  
 & Alcuinus Latini, Seculo IX Photius  
 Patriarcha Græcus, & Bertramus, Ra-  
 banus Maurus, Haymo, Strabo Fuldensis  
 (Autor Glossæ ordinariæ) Latini, Se-  
 culo X. Oecumenius, Theophylactus, è  
 Græcis, Ansbertus & Radulphus è La-  
 tinis. Seculo XI. Rupertus Tuitien-  
 sis, Anselmus, Damianus, & XII. Se-  
 culo è Græcis Nilus, Archi Episcopus  
 Theffalonic. & Theodorus Balsamon,  
 Patriarcha Antiochen. E Latinis Bern-  
 hardus, Honorius, Augustodunensis &c.  
 Atque hi præcipui sunt ex antiquita-  
 te: quibus tamen, ut de cæteris quo-  
 que constet, addendi alii è Bibliothecâ  
 Magna Patrum Margarini de la Bigne,  
 quanquam non omnes in eâ compre-  
 hensi parilis fidei autoritatisvè sint, sed  
 cum iudicio adhibendi.



II. Juvat omninò generalia quædam prælibare, antequam speciatiim aggrediaris ordine Patres perlustrare.

*Generalia  
de Patri-  
bus præco-  
gnita.*

Talia sunt 1. *Manuductiones* ad legendos Patres, qualis v. gr. est *Che-  
mniti* Oratio præmissa *Locis Commu-  
nibus* (2) *Judicia* de Patribus ceu au-  
toritate scriptis: quò cum primis dis-  
cernantur supposititia à genuinis, re-  
centiora ab antiquioribus, quò facit  
*Riveti Criticus Sacer.* *Coci* censura,  
*Possevinus*, *Sixtus Senensis*, *Bellarmini*  
*Catalogus* scriptorum illustrium, & è  
*Veteribus Hieronymus*, *Gennadius* de  
illustribus *Ecclesiæ* *Dd.* *Photius* &c.  
(3) *Præcognita* quædam *Generica* præ-  
cipuorum Patrum, qualia exhibet in  
antiquioribus *Scultetus* in *Medullâ*.  
(4) *Historica* de vitâ & doctrinâ ac  
scriptis Patrum, qualia occurrunt in  
*Præfationibus Erasmi* & aliorum. (5)  
*Synopsis Theologiæ* Patrum, ut *Eckardi*  
compendium *Theologiæ* Patrum. Con-  
fer. *Danaei* *Comment* in *August.* *En-  
chiridion.* (6) *De stipulis & erroribus*  
Patrum, *Censuræ Orthodoxorum*, qua-  
les singulis *Centuriis Magdeburgensibus*  
data

data sunt. (7) *Hæreseologia*, ut quales sint hæretici cognoscamus, quos cōtrāscripsere Patres, utpote *Philastrii* Catalogus hæreticorū, *Epiphanius*, ut & *Augustinus* ad Quod vult Deum de hæresibus cum Commentar. *Danaei* &c.

*Qui præcipuè è Patribus legendi.*

III. Quamquam utile sit pleraq; omnia perlustrare Patrum scripta, alii tamen præ aliis lectu dignissimi sunt.

Sunt autem iudicio Dn. D. *Ægidii Hunni* & aliorum, Patrum omnium optimi lectuq;ve dignissimi, *Athanasius*, *Augustinus*, & *Damasceus*, quibus adjungit Dn. *Försterus Bernhardum*, quem præ aliis plus lucis habuisse in articulo de justificatione judicat *B. Chemnitius*, sed vel maximè adjungendi ex illis in Scripturæ interpretatione *Chrysostomus*, *Theodoretus* & *Hieronymus*, ut & ob controversiarū tractationem *Cyrillus Alexandr.* cō quod Synodo Oecumenicæ *Ephesinæ* præfuerit. Ut ergo ob Concilium *Nicenum* & controversiam *Arianam* *Athanasius*, ita ob *Ephesinam* Synodum & *Nestorianam*, certamen *Cyrillus* legi meretur. *Augustinus* verò ob *Pelagianam*, *Manicheam*, *Donat-*

*Donatisticam*, tùm ob alias, quæ Ecclesiã exercuere, hereses, *Damasceus* ideò, quod in Systema redegerit Patrum Sententias ac Theologiã, quò sine etiã *Cyrrilli Hierosol.* Catechesis cõmèdati sunt. Confer *Augustini Enchiridion Lib: de doctr: Christian: Theodoretì decretor. Divin. Epitome*, *Gennadius* de dogmatibus Ecclesiasticis. Judicium *B. Lutheri* de Patrum lectione vide apud *Weller.* in Oratione de Studio Theolog.

IV. In lectione Patrum judicium accuratum adhibendum.

Judicium  
in lectio-  
ne Patrũ.

Ideò non legantur, nisi ab iis, qui eximio jam pollent in rebus Theologicis judicio. Respicendum autem in eorum lectione 1. ad *Regulam* Scripturæ unicam, ne scilicet quicquam admittatur, quod manifestis Scripturæ testimoniis adversum sit, cum omnia ad fidei analogiam in Scripturis luculenter traditam exigenda sint. 2. Ad *textum*, quâ occasione, quò modo, adversus quem, & quò sensu aliquid asseratur, ne aliena mens alicui affingatur. 3. Ad *perpetuam* Doctorum Ecclesiæ mentem ac sententiam, quæ non ex unâ aliquâ pericope, sed

ē diligenti Auctoris lectione, variisq;  
 locis, ubi rem eandem tractat, hau-  
 rienda est. Quo nomine discernen-  
 da ea, quæ sunt dicta κατ' αὐθροπον  
 vel ex mente alienâ, ab his, quæ à men-  
 te proferuntur propriâ; Ea, quibus è  
 rumoribus vulgi loquuntur, ab illis, quæ  
 ipsimet asseverant: Cum non rarò in  
 historicis relationem, vel autoritatem  
 Majorum sequantur sine justâ inqvi-  
 sitione veritatis Vid. Canus L. XI. LL.  
 CC. c.6. Ea, quæ ut certa proponunt,  
 ab his, quæ tantum ut probabilia sta-  
 tuunt, prout monet Otto Frisingens. l.  
 4. c.18. Ea, quæ ex professo velut in pro-  
 priâ sede tradunt, ab his, quæ tantum  
 obiter attingunt: Ea, in quibus διδασκαλίας  
 versantur, & sermò, ab his, in quibus διχο-  
 νομικῶς vel ἑταροθετικῶς occupâtur, dum  
 proposito suo inserviunt; Ea, in quibus  
 receptæ consuetudini temporum suo-  
 rum cedunt, à propriis ipsorummet  
 doctrinis, prout August. l.20. c. Faust. c.21.  
 docet; ea in quibus loquendi formulas  
 à vulgo petunt, ab his, in quibus pro-  
 priè & accuratè loqui amant; Ea, in  
 quibus ipsi Rethorificantur, aut in Poë-  
 ticiis, versuum elegantiam sectantur, ab  
 his;

his, qui *Acroamatico* genere dicere lituruntur, quomodo sese excusat *Hieron.* adversus *Helvidium*, *Rhetoricatus* sumus, aliquid declamationibus dedimus; Ea, quæ in disputationis fervore afferunt, ab his, quæ ab affectu liberiores decernunt; Ea, quæ *γυμνασικῶς* scribunt, ab iis, quæ *δογματικῶς* tradunt, &c. 4. Ad dicendi genus diversum. Nam habet ferè quisque Patrum proprium suum dicendi genus, quod nisi sedulo observatum fuerit, genuina mens & sententia non ita certò constabit. 5. Ad diversitatem donorum. Nam alii præ aliis in hoc vel illo studio feliciores sunt, uti in disputationibus accuratiores sunt *Augustinus* & *Athanasius*, in Exegeticis *Hieronymus* & *Chrysostomus*. 6. Ad tempora diversa quibus vixerunt. Qui enim nondum motis certaminibus vixerunt, locuti sunt quandoque securius, prout *August.* respondet *Juliano* l. i. *Contr. Jul.* c. 2. Patres nondum moto illo certamine liberius locutos esse. 7. Ad *Ecclēsiæ universalis confessiones*. Cum enim Patres Synodos suæ & præcedentium ætatum acceptarint, ac confessiones

siones in illis editas, ad earum Cynô-  
 furam Patrum dicta & sententias ex-  
 plicare oportet: quæ autem contra il-  
 las dicta videntur, ea admitti possunt  
 salvâ Patrum autoritate, quos scientes  
 volentes contrâ symbola & confessio-  
 nes fidei à se acceptatas aliquid asse-  
 ruisse præsumendum non est. *Denique*  
 non legendi sunt eo fine Patres, ut vel  
 cum *Novatoribus Calixtinis* inde Re-  
 gulam fidei per traditionem propa-  
 gatam, infallibiliter credendam col-  
 ligamus (quo pacto derogatur Scriptu-  
 ræ S. ac verbo scripto, additur *aliud*  
*non scriptum DEI Verbum*) aut ut per  
 præconceptam opinionem hinc in-  
 de sententiæ abripiantur & corradan-  
 tur, quod factum in der *Erörterung*  
*Drejeri*, perinde uti Papistæ solent  
 corradere varia, cū quibus ille in mul-  
 tis egregiè Papizat, aut ut controver-  
 siarum dijudicatio suspendatur cum  
 dictis *Novatoribus* pariter & cum *Pon-*  
*tificiis* à consensu imaginario Ecclesiæ,  
 quem temerè è paucis illis superan-  
 tibus Patrum scriptis æstimant, ac ceu  
 Catholicæ Ecclesiæ indubiam fideri  
 ac unanimum consensum ineptissime  
 ven-

venditant. Adscribam *judicium Dn.*  
*D. Hülfemanni nostri* (quem Regiomon-  
 tani Extraordinarii adhuc quadante-  
 nas æstimare solent nonnunquam pro-  
 ut sc. ratio status exigere videtur. Dis-  
 putat is solide aduersus *M. Anton. de*  
*Dominis & Pontificios*, ut & modernos  
 quosdam Episcopos Anglicanos, *Richardum*  
*Montacutum &c.* Breviario  
 extenso cap. XLIX. th. XXII. seqq. ubi  
 hæc inter alia habentur, digna quæ  
 hic subiciantur, & Novatoribus ex-  
 pendenda relinquuntur. *Si demas*  
*inquit th. XXIX. Patrum scriptis hodiè* 17  
*superantibus pseudepigrapha, anepigra-* 22  
*pha, & dubia: de quibus Erasmus in præ-* 22  
*fationibus Editionum suarum: Magde-* 22  
*burg. cap. X. cuiusq; Centuriæ. Sixtus* 22  
*Senensis, Bellarminus, Possevinus, Ri-* 22  
*vetus, Cocus, Laurentius, D. Gerhar-* 22  
*dus in censuris suis de Scripturibus* 22  
*Ecclesiasticis: Residuum reliquorum* 22  
*monumentorum, ne partem quartam* 22  
*attinget eorum scriptorum, quæ perie-* 22  
*runt.* Tum ab his scripta, quarum 22  
 quædam adhuc existant, tum ab aliis, 22  
 æquè piis, & doctis coætaneis. Quod ex 22  
 collatione Catalogorum de Scriptori- 22  
 bus Ecclesiæ, Didymo, Melitone, Mar- 22

“ co, Theophilo, infinitis aliis ( quales  
 “ Hieronymus, Isidorus, Gennadius, Pho-  
 “ tius, Possevinus, aliiq; texuerunt ) ad  
 “ numerum librorum sive seorsim, sive  
 “ in Bibliotheca S. S. P. P. Margarini de  
 “ la Bigne hodiè extantium, per indu-  
 “ ctionem patet. Neq; divina promissio,  
 “ aut ulla ratio jubet credere: *Optima*  
 “ *tantum scripta, eaq; ad fidem infallibilem*  
 “ *de consensu omnium ubiq; & cujusvis eta-*  
 “ *tis Doctorum, circa singulos fidei articulos*  
 “ *nobis faciendam sufficientia, servata fuisse;*  
 “ *sola vilia periisse.* Nam & dicti Catalo-  
 “ gi fidem faciunt, & Papistæ fatentur:  
 “ ( *vid. Alph. à Castro contra hæreses. V. Ba-*  
 “ *ptismus, & lege unius Erasmi Annot. ad*  
 “ *librum Hieronymi de Viris Illustribus, vel*  
 “ *unicum Hieronymi Didymum, vel unicum*  
 “ *Gennadii Salvianum* ) optima optimo-  
 “ rum Autorum scripta intercidisse. Ac  
 “ supponitur quidem ad inferendum hoc  
 “ novum *εὐρημα*, id quod non verum est.  
 “ *Ac si nempe, sive ex naturâ rei, sive ex præ-*  
 “ *cepto Divino, necessaria acquisitio esset*  
 “ *distinctæ & articulatæ cognitionis histo-*  
 “ *ricæ, de qualitate & cõformitate doctrine*  
 “ *publicæ per singulas orbis Ecclesias, quovis*  
 “ *loco, quavis etate propositæ, ad constitu-*  
 “ *endam certitudinem nostræ fidei, de*  
 “ *commu.*



*communione Sanctorum omnium ætatum* 11  
*& locorum inter se, tam in charitate,* 11  
*quàm in sententiis dogmaticis. Quæ ima-* 11  
*ginaria & fictitia necessitas est: Ne-* 11  
*que etiam expleri posset, si esset, ex il-* 11  
*lis, quæ supersunt, Patrum voluminib9.* 11  
*Nullum ex jure Divino requisitum hu-* 11  
*jus necessitatis doceri poterit. Ex* 11  
*naturâ rei, tam non est necessaria indu-* 11  
*ctio historica de singularum ætatum,* 11  
*atque ex ætatibus illis singularum Ec-* 11  
*clesiarum fide & doctrinâ publicâ,* 11  
*quàm non est necessaria inductio de* 11  
*singularum Ecclesiarum & singulorum* 11  
*Christianorum sincera dilectione &* 11  
*charitate inter se: Quàm non est ne-* 11  
*cessaria specificatio Urbium, pagorum* 11  
*& oppidorum universi orbis, quo anno,* 11  
*quo mense, per quem prædicatum fue-* 11  
*rit illic, Evangelium, ad demonstnan-* 11  
*dum axioma Ἰσοϋνευσον Rom. X. In* 11  
*omnem terram exivit sonus Eorum. Quàm* 11  
*non fuit necessarium Noacho, ut præ-* 11  
*sciret, quot & quæ Ecclesiæ, ubi, quam-* 11  
*diu &c. consensuræ essent cum ipsius* 11  
*fide: Qui nihilominus credidit fide* 11  
*divina: Omnes ubique salvandos crede-* 11  
*re & credituros, quod ipse credebat. Nô-* 11  
*runt fideles Aquilæ, cæteras per orbem* 11

“ Ecclesiæ Aquilas tales esse, quales ipsæ  
 “ sunt; etsi nesciant, quot sint in orbe  
 “ Aquilæ, ubi nidificentur, *Ratio est:*  
 “ Quia duratio perpetua communionis  
 “ Sanctorum in fide & charitate, de quâ  
 “ Eph. IV. 4. 5. 6. 12. seqq. creditur fide  
 “ divina, non humana, qualem & non  
 “ aliam generare possunt Patrum &  
 “ Conciliorum volumina: Creditur  
 “ propter attestationem Spiritus Sancti  
 “ de illa duratione, non propter sensiti-  
 “ vam cognitionem aut intuitivam.  
 “ Qualitas objectorum, circa quæ versa-  
 “ tur communitio Sanctorum, determina-  
 “ tur & determinanda est ad normam  
 “ & sensum Sacrarum Scripturarum:  
 “ non vice versa, sensus Scripturarum ad  
 “ conjecturalem illam, obscuram & im-  
 “ perfectam cognitionem historicam,  
 “ quæ per Synthesin & inductionem hi-  
 “ storiciæ omnium temporum dicitur  
 “ educi posse, sed non potest: *ob rationes*  
 “ *supra allegatas, tum ex parte principii, ex*  
 “ *quo fieri debet inductio; tum ex parte*  
 “ *Interpretum, nunquam inter se consensu-*  
 “ *rorum; tum ex parte modi, quo consensus*  
 “ *ille explorari & constitui possit. Præmi-*  
 “ *serat B. Lutheri suffragium in hanc*  
 “ *Sententiam, neque haberi posse consen-*  
 “ *sum*

sum Doctorum priorum quinque seculorum è privatis scriptis, & si ponatur is, longè tamen difficilius ostensum iri evidentiam sensuum consentientes discrepantibus inter se partibus, quàm evidentiam consentientium inter se dictorum Prophetarum & Apostolicorum, adeoque nullum finem, nullum usum consecuturam jactantiam illius consensus. Placet id repetere, atque Novatoribus (si modo illis tanti est B. LUTHERI autoritas, ut dignentur ei auscultare) propinare. Quæ causa (subjicit Dn. Hülsem. th. XXIX.) potissimum & propemodum sola movit & seqq. B. Lutherum, ut desperaret de lite cum Pontificiis, mediante consensu Conciliorum & Patrum finienda. Vid. tota pars I. libri de Conciliis An. M. D. XXXIX. Germanicè editi Tom. VII. Jen. German. à fol. 221. ad 234. ubi aliquoties repetit hæc verba: *Etiam se magno studio legisse Patres, improboq; nisum labore, ut contraria scribentium dicta reconciliaret; Itaq; edicere illis, qui desiderio unionis piq; concordie ducti putent, ex consensu Patrum instituendam esse Reformationem Ecclesiæ, quod oleum operam.*

“ que sint perdituri: litigia enim de ve-  
 “ rō sensu Auctorum, & consensu inter  
 “ se, de obiter & ex professo, ex sua alio-  
 “ rumve mente dictis, de communi & pri-  
 “ vata opinione &c. nullis seculis iri ter-  
 “ minatum. Se omnem ejusmodi cona-  
 “ natum frustrancum atque irritum pro-  
